



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Controversiarvm Biga.

Caraccioli, Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1619

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64242)

entes quos apertatus su ab eis. **Lxxv**

Caracciolo
de SS.
Iacobo & Martino.

I nundauerunt aq̄ sup caput meū

in perni inuocabo nomē tuum dñe d̄s

Lxxv **I** uovae. Labia insurgentiū & cogi

tones eoz uide domine **Lxxv** **I** uovae.

on haberes in me potestātē nisi de
sup datum tibi fuisset **Lxxv** **I** uovae.

Ih
4877

H III. 17.
~~28~~

Th. 4877.

ILLVSTRIVM
CONTROVER
SIARVM
BIGA.

I. De S. Iacobi Apostoli accessu ad Hispaniam,
II. De Funere S. Martini à S. Ambrosio celebrato.

AUCTORE
ANTONIO CARACCIOLO ORDINIS
CLERICORVM REGVLARIVM
PRESBYTERO.

Secunda Editio longè emendatior & nonnihil etiam auctior.

Sanctus Basilius Magnus Orat. de Ieiunio.

Omne quod vetustate praeceat, venerabile est.

Liber Collegij Societatis Iesu Paderbornae



COLONIAE AGRIPPINAE.
Apud Ioannem Kinckium, sub Monocerote.

ANNO M. DC. XIX.

D. ANDREAS PISCARA CASTALDVS PRAEPO-
 situs Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

DVAE Illustres Controuersia Historica; altera de B. Iacobi acces-
 su ad Hispaniam, altera verò de S. Martini funere à S. Ambrosio
 procurato, Auctore P. D. Antonio Caracciolo nostri ordinis Pres-
 bytero, nostrorum Theologorum calculo approbata, facultatem con-
 cedimus, vt typis excudantur. Datum Romæ, Apud S. Syluestrum in
 Monte Quirinali, Die 18. Mensis Nouembris. M. DC. XVII.

D. Andreas Præpositus Generalis.

Controuersia hæ Historica Reuer. Admodum Patris D. Antoni
 Caraccioli, Viri pietate ac doctrinâ præstantissimi, quod multi-
 plici variaq; sint doctrinâ refertæ, nihilque contineant, quod Ca-
 tholicæ Fidei aduersetur, dignæ mihi videntur, quæ ad communem om-
 nium vtilitatem, & fructum prælo tradantur.

Rutilius Gallac. Canonic. Dep.

Imprimatur. Alex. Boschius Vic. Gen.

D. Andreas Lanfrancus Cler. Reg. Dep.

Registr. fol. XXXX.

Illustriss.

Illustriss. ^{mo} & Reuerendiss. ^{mo}

D. GASPARI BOR-
GIAE S. R. E. CARDINA-
LI AMPLISSIMO,

ANTONIVS CARACCIOLVS PRESBYTER RE-
gularis, Felicitatem.



QVOD olim, Illustrissime Princeps, de Alex-
andri Magni Imperio sapienter à Scytha dictū
est, *Arbores magnas diu crescere, una hora extir-
pari*, id nostris hisce temporibus de antiquis e-
tiam plerisque Historijs dici posse, equidem
neque primus video, neque arbitrør, solus do-
leo. Et est profecto valdè dolendum querendumque in tam
gravi vulnere Antiquitatis. Veteres enim memorias, firmis
licet Monumentis literisq; commendatas, & iamdudum insi-
tas, atq; infixas in ima viscera, mentesq; mortalium, nituntur
tamen nonnulli Recentiores, siue falsa prudentiæ specie de-
cepti, siue titillante eos Nouitate permoti, derepentè conuel-
lere, ac radicitus extirpare. Vidit sanè eiusmodi, Vetustatis ex-
itium, vt ceteros taceam, integerrimus ille Baronius Cardis-
nalis: &, vt Sacrum decebat Cæsarem, non vitam ense, sicuti
Romanus ille, hominibus abstulit, sed, vindice calamo attu-
lit plurimis Ecclesiæ historijs, quas aut violenta Nouitas suf-
focauerat, aut vesana Obliuio sepeliuerat. Itaque Ecclesiastici
eius Annales verè dici possunt, *Sacra Vinaria Antiquitatis*. in-
de tamè factū est, vt is ipse Baronius, dum priscorum gesta dili-
gentius indagat per vestigia Veritatis, non rarò, quod, se Iu-
dice, falsum existimat, continuo id antiquum esse, acerrimè
perneget. Et meritò ac iure ita sibi censere posse videbatur:
nouerat, quippe Vir doctissimus, duo hæc adeò secū ami-
cè conspirare, vt quod bona Antiquitas tradidit, id ipsum Ve-
ritas suo statim probare calculo consueuerit. Hac itaque rati-

one sibi vltus est posse, inter alias, duas illas Narrationes alio-
 qui celeberrimas, veluti mendaces explodere, *Accessisse videli-
 cet Iacobum Apostolum ad Hispaniam, & Ambrosium funeri inter-
 fuisse Martini.* Ista siquidem, quod à Veritate cēseat aliena, cō-
 stanter negat à prima Antiquitate producta; atq; adeo (quod
 mirandum est) Antiquitatem à se aliàs tantopere cultam, ijs
 locis, & non rarò alibi, nescius fastidit, & deserit. Ego vero, &
 nunc maximè expertus sum, antiquam, & solidam veritatem,
visu, vt Tacitus ait, & mora valescere. Nam, & si nominis sui
 claritudine, atque auctoritate Baronius, hæc atque alia multa
 quæ primus reiecit, alijs etiam plurimis, merito à se fuisse re-
 iecta persuasit, procedente tamen Tempore, *quod pater veri-
 tatis est,* dum eruditorum ingenia neutrius partis studio, sed
 sola dignoscendi Veri cupiditate ducuntur, dum Rationes, &
 coniecturas omnes hinc inde productas examinant, dum ve-
 tustos Codices solerter inspiciunt, & fontes ipsos adeunt, eo
 sensim deuentum est, vt priscas aliquot, & venerandas Histo-
 rias, quas iusto seuerior censura dispulerat, solidas verasque
 esse, successu prospero, deprehenderint: ac proinde etiam de
 Baronio iure pronunciarì posse cognouerint, quod Orato-
 rum maximus alicubi dixit, *Neminem profecto esse artis suæ tam
 peritum Sagittarium, vt non aliquando erret abs scopo.* Certè quod
 ad me attinet, qui imbecillo licet ingenio corporeq; sacra ta-
 men & vetera Monumenta pernox propemodum, atque
 perdius verso, has duas præsertim Controuersias diu multūq;
 perpendi ad trutinam veritatis: de quæ ijs, octauus iam annus
 est, publicè non sine eruditorum secundis admurmurationi-
 bus, disputauì. Hanc igitur ipsam *Illustriarum Controuersiarum
 Bigam,* Gaspar Illustrissime nunc è repagulis profero, ad me-
 tam & splendorem vsq; in sacre Historiæ Olympijs decursu-
 rus. Eant Circenses alij ditiores.

- *altis vecti niueisq; Quadrigis,* Pauperculus ego sum a-
 gitator: vix Bigam alere, atq; ad cursum incitare me nunc pos-
 se cognosco. Alias fortasse, *ou' v' thew,* auctior viribus, audenti-
 orque.

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Interea

Interea Te potissimum, Inclyte Princeps, in hoc literario certamine depono Agonotheten. Nam is Tu sanè es, qui ob solidam spectatamque integritatem *Ἐπίστατα καὶ Βραβεύου* personam dignus sis sustinere. Spero autem, Te pro tua benignitate non recusaturum Officium, quod, sicuti Spartianus memorat, conterraneus ille tuus Adrianus Augustus, dum esset Athenis, ultro suscepit, nec sine laude obiit. Accedit, Bigam istam ad Te potissimum deuchere. Magna illa Celi Columina, Ambrosium & Martinum Episcopos, atque Iacobum Apostolum, quo Evangelij satore, & Tutelari Divo merito gloriantur Hispani, Hos Tu, & pijsimè colis, & quod hoc sæculo rarum est, insigni probitate, sincera prudentia, & ardēti Christianæ fidei Zelo, studes imitari. Inuito equidem Tibi laudes ingero, Novi oris tui pudorem, ac modestiam animi. Sed, ut ille ait, *Ea demum vera laus est, quæ sequitur, non appetitur.* Et vero, quamquam mihi tuo concessu, quod valde cupio, liceret nunc expatiari in florido isto, & latè patenti Virtutum tuarū campo, Operis tamen ipsa paruitas retraheret me, moneretque, ne paruo cubiculo ianuam magnam ridiculus Architectus aperirem. Itaque hæc omitto. Tu vero, Illustrissime Princeps, libellum serenus accipe, & vnà animum Tibi æternū additum. Vale Neapoli. xvi. Kal. Martias, M. D. C. XIX.



REVER. PATRI
ANTONIO CARAC-
CIOLO ORDINIS THEA-
TINORVM,

Historicarum Controuersiarum Auctori,
PROSPERI ANTONII ZIZZAE ACADEMICI
Otiosi Neapolitani.

Ode Dicolos Distrophos.



Quem festo fidium sono,
 Quem vel Maonij carminis alite
 Dignum Pieri concinam?
 Quem tu Pegaseis fontibus abluis,

Tu dic, tu Dea, cui comas
 Ornas Aonia frondis honoribus
 Magnum Musa Caracciolum.
 Illum nubiuago è vertice vallibus
 Echo personat abditis,
 Et ripa egelidis ancta fluentibus,
 Nomen ter geminat pium;
 Cuius fortibus Heroibus inclytum
 Auctum Principibus genus
 Mitis linque sacro Musa silentio:
 Ille id spreuit & abdidit
 Se intentum studiis paupere cellula.
 Musis cognitus & Deo:
 Hunc tu sed cythara concine eburnea,
 Et Thracis placida Chely
 Vincentem volucri mente Promethea:
 Binas surripit hic faces,
 Quæis cedunt tenebra, cunctaq; certius
 Phœbi lampade promicant:
 His nunc Hesperius fulget & Italus,
 Fulget Relligio Dei.
 Sic orbem duplici Magne Volumine
 Antoni referas, neq;
 Tam celso satis est vndiq; nomini
 Orbis iam geminus tuo.

HOC LIMINE, LECTOR,

ne actum agi existimes, proponitur tibi, operâ Typographi, Syllabus rerum insigniorum hac priore Controverfia contentarū, quas ij, qui hactenus eandem tractauerunt, vel nullo modo vel indiligenter attigere.



I.

Onfutantur opiniones dua, altera de tempore emigrationis Apostolorum à Iudaea ad Gentes; altera verò de ostio Gentibus reserato Præf. ad Lect.

II. Ostenditur antiquitas Christiana Religionis in Hispania. à nu. 9. vsque ad 13.

III. Obiectio ex Apollonio de discessu Apostolorum post duodecim annos à Ierosolymis, Loca item Lucae in actis & Chrysostomi Hom. 70. in Matth. aliter diluuntur, quam alij hactenus dilucrint. num. 13. & 14.

IV. Cornelij Conversionem, & Iacobi necem eodem ferme tempore contigisse, falsum esse euincitur solida ratione, quam à veteribus Patribus primus profert hic Auctor num. 15. & deinceps vsque ad 18.

V. Apostolos, & Symbolum fidei condidisse, & emigrasse ad Gentes, non, ut alij figunt anno Christi 44. sed anno 38. clarè ostenditur. nu. 17. & 18.

VI. Locus B. Innocentij Papæ in Epist. ad Episcopum Eugubinum nihil obesse, facili è vetustis Sacrorum Canonum Doctoribus petitâ explicatione, quod alij non fecere, demonstratur. nu. 20.

VII. Verba item Pauli ad Romanos, quæ obstare videbantur, adductis nunc primum Ambrosii, Hieronymi, atque Hugonis explanationibus, facile diluuntur. num. 20 & 21.

VIII. Indicatur Archiepiscopum Compostellanum, non prorsus siluisse ad obiectiorem, quam Toletanus in Concilio Lateranensi fecisse legitur, de prædicatione Iacobi. nu. 23.

IX. Concilium Bracarense antiquissimum nuper repertum in vetusto Cod. nunc primum in hac Controverfia producitur. nu. 24.

Locus

X. Locus *Abdia* fusissimè, & diligentissimè discutitur, & solvantur argumenta omnia insignis cuiusdam Interpretis negantis intelligi posse de Apostolorum in Hispania Galliaq; predicatione. num. 26. 27. & 28.

XI. *Ioannis Chrysostomi*, & *Aprigij Pacensis* testimonies de *Iacobi* ad Hispanias accessu, à nemine hæcenus obseruata, in medium proferuntur. nu. 29. & 31.

Summa: Potuisse *Iacobum* abire ad Hispaniam, euincitur valida ratione; abijisse, frequenti veterum auctoritate firmatur.

Altera autem *Controuersia*, quæ agit de *Martini* funere, tota propemodum noua est, & veri amantibus, atque eruditis *Lectoribus* erit, vt spero, proficua, & grata.

AD EAM VERO ADEVDAM HIC ESTO
Indiculus.

- I. **A**MBROSIVM *Mediolani* simul, & *Turonibus* adesse potuisse ostenditur certis exemplis nu. 36.
- II. Exponuntur causse susceptæ defensionis *Historia* à *B. Gregorio* narrata nu. 36. 37.
- III. Deprehenduntur menda aliquot *Gregoriani Codicis* nu. 37. 38.
- IV. Cur *Gregorius* in figendis *Consulibus* diuersus abeat à *Vulg. Fastis*. num. 38. 39.
- V. *Africana Concilia* confusa esse, demonstratur nu. 39.
- VI. *Siricius* non tredecim, sed totos quindecim annos fuit *Pontifex*. ibidem.
- VII. *Particula* ferè, aliquando auget nu. 40.
- VIII. *Seueri Codex* in *Notis* numeralibus corruptus ostenditur. ibidem.
- IX. *Clodoueus*, quo anno obierit. nu. 41.
- X. Proferuntur decem argumenta pro sententia *B. Gregorij Turon.* nu. 42. &c.

9

A D L E C T O R E M .



V M anno superiore has nostras Historicas Controversias, aliaque nonnulla, Colontam Vbiorum, ut typis Kinkianis excuderentur, transmittere pararem, ecce significatur mihi, doctissimum quendam Virum Lugduno prodysse, qui de accessu Iacobi ad Hispaniam, in commentarijs ad Actus Apostolorum fuse diligenterque tractasset. Librum ego ex templo emi, legi, perlegi. Gavisus sum strenuum adeo accessisse commilitonem, quicum federatus, pugnam hanc literariam tutior alacriorque, pugnarem. Accessisse inquam, nam multis ab hinc annis has Controversias, in nostris Aduersarijs, privatim habui, ut quo primum tempore idoneum Typographum nactus essem, educerem. Sciunt id nostrates, quibus iam pridem ostendi, Sciunt, quotquot me in Domo nostra Quirinali de superiore loco hac ipsa propugnantem anno salutis (X) DCXI. audiuerunt. Sciunt Romani, & Veneti Bibliopola, quos identidem appellavi, de Typographo, Belga aliquo, siue Germano, ipsorum mihi opera conciliando, qui hac nostra Historica praealo subijceret. Itaque cum tandem reperissem Ioannem Kinkium, qui vellet suo nitido Typographico nostras labores Historicos vulgo dare, sarcinulam ad illum misi. Sed ecce (malum) dum hanc telam iam texi crederem ad me Roma scribitur, Kinkium non recepisse mea scripta, esse item indicia nonnulla, Tabellionis negligentia, Roma à quodam qui bene me nosset fuisse clam erepta, ut sui fortasse nominis titulo insignita, dolo malo, exprimeret non sua: Hortari me igitur amicos, ut illum anteuerterem, & alicubi quamprimum excudenda committerem. Ego, ut verum fatear, quamquam de iactura non nihil indolui, subrisi tamen, & miratus sum fuisse porro hominem, qui tanti regulas nostras fecerit, ut eas quoquo modo sibi existimauerit acquirendas. Parco nihilominus amicorum consilio, & ecce nunc iterum isthac imprimenda committo. Iam verò, etsi me Expositor ille Apostolicorum Actuum, ob has, quae acciderunt, dilaciones, in editione praue nit, me tamen non prorsus actum agere, docti iudicabunt. Nam, ut alia minutiora praeteream, in quibus ab illo ego scriptore saepe diuersus ab eo, duo praecipue sunt eius Viri placita, quae mecum profecto erudite Lector, improbabis Primum est, paulò post Spiritus Sancti de-

Trac. 1. cap. 1.
5. n. 4.

censum excessisse Apostolos e Iudæa, & in suam quemque Prouinciam abyssse. Hoc desumptum è spuria Melithonis cuiusdam narratione iā olim Gelasii decreto reiecta, Sanctus Presbyter Beda iamdudum explosit, atq; damnauit: eò quòd apertè cōtrarium habeatur è Luca, tradente post necem Stephani, dilapsis ob persecutionis Iudæicæ diritatē alio alijs Christi discipulis, Apostolos nihilominus inibi permansisse, quia, ut Occumenius sapienter obseruat, vbi potissima erat oppugnatio, ibi primos, ac præcipuos milites in acie pugnare oportebat. Steterunt autem, inquit Chrysostomus, Longo temporis spatio: ac demum ab ipsis Iudæis propulsi, in Gentes profecti sunt. Apostolis enim, ut præceptum illud Christi obseruaret, in viam gentium ne abieritis, conueniens erat, ut sicut loquitur Tertullianus, Saturato prius Israele, in nationes transirent. Igitur non tam propere, ut ille censet, discedendum fuit. Quamdiu autē manserint in Iudæa post necem Stephani, quæ ad finē anni primi à Christi decessu contigit, Beda quidem non signatè, & distinctè exprimit, sed tantum vniuerse dicit, Donec Ecclesia per totam Iudæam, & Samariam pacem haberet. At Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, Marcellinus Comes, & Euthalius, quorum verba legi poterūt in hac Priore nostra Controversia, distinctè tradunt, Apostolos, totos tres annos in Iudæa perstitisse, & quòd excurrit. Et tantundem propemodum temporis spatium, quamquam non adeo aperte, atque signatè, indicauit Christus ipse in Euangelio Matthæi: apud quem, cum per Parabolam occisi à Vinitoribus heredis vinea, Christus interrogasset, qua pæna digni essent homicidæ illi, & Iudæi respondissent, Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, &c. Christus tamen, supra omnium opinionem clementissimus, aliam ex templo parabolam subiunxit Regis per seruos suos inuitantis ad nuptias in qua Iudæos prius per Apostolos identidem inuitandos significat, ut fructum fusi à Christo sanguinis vellent percipere, quos si non audissent, tunc perdendos fore. Hoc ante nos doctissimus Forerius in Isaiam scribens obseruauit. Quæso te nunc prudens Lector, si hac fieri oportuit, ut vere oportuit, quomodo simul cum his stare potest, Apostolos, ex templo post receptum Spiritum, ad Gentes emigrasse.

Trac. 1. cap. 1.
& cap. 2.

Non minus autem improbable est illud alterum eiusdem viri placitum, Ostium in Cornely Baptismo Gentibus apertum fuisse; non ad

fidem

fidem, & Christiana legis Sacramenta participanda; hac enim ipse
 pinatur libere antea gentibus patuisse, sed ad ineundum cum illis con-
 uictum & contubernium. Non inibo longam disputationem, ne in hoc
 operis vestibulo diutius morer. Sat erit loca indicare, & digitos ad
 fontes protendere, hoc est ad veteres Patres, qui opinioni isti nuper a
 plane refragantur. Arbitror autem virum istum ingenio doctrinaque
 praestantem in hac sese ἀπορία ἐπιμαρτυράσθαι adegisse, ob studium ius-
 dae patrie Traditionis, de Iacobi ad suas Hispanias accessu, ratum for-
 tassis, non nisi his fundamentis hanc fabricam posse superextrui. Ego
 verò studium laudo: at video tamen eiusmodi novam ἐπιμαρτυράσθαι non
 bene fulcire hunc lectum & solo contuitu prisca Patrum expositionis
 corruiere quidquid, alioqui in speciem probabile, adductum ab eo est
 acuti, & noui. Primum, obseruat Chrysostomus Hom. 24. in Actus Apo-
 stolorum non solum consuetudinem gentium quam Petrus cum illis
 inierat, displicuisse ex Circumcisione, fidelibus, sed etiam, idque potissi-
 mum, quod Baptismum gentibus tribuisset: Postquam, inquit, pro se
 Petrus rationem reddidit tunc praecipit gentes baptizari, do-
 cens illos (Iudeos) re ipsa: adeo molestum erat Iudaeis: & prop-
 ter hoc prius se defendit, quamuis res ipsa clamarent (debere
 scilicet gentes baptizari) & tunc praecipit. Imo paulò inferius subij-
 cit, Petrum, eò quod Gentes in Cornelij domo baptizasset, fidenter in-
 yisse cum yisdem contuberniū per dies aliquot. Ponderans enim verba
 illa Luca: Tunc rogauerunt illum vt maneret per dies aliquot,
 ait, Hinc, (hoc est post baptizatos Gentiles illos) postea merito etiā
 bona fiducia illic permanet. Baptismus ergo primarius & longè
 nobilior, atq; praestantior fuit, Aductū Petri effectus. Id ipsum sibi vo-
 luit Augustinus, idemque Chrysostomus, Beda, Decumenius, & alij atq;
 alij, dum linteum illud animalibus plenum à Petro visum, & verba
 illa Macra & manduca ab eodem audita, non iuxta corticem litera-
 de animalium lege Mosaiica veterum manducatione, vt Petrus ini-
 tio visionis acceperat, neque de data gentibus mensa, & cōuictu: sed de
 yisdem in Ecclesiam Christi, veluti intra linteum, per Baptismum cō-
 cludendis vero, & germano sensu exposuerunt. Linteum, ait Chry-
 sostomus, terra est; Bestiæ autem in illa, Gentiles: Macra verò, &
 comede, quod etiam illos accedere oporteat. Tertiò, autem,
 id fieri, baptisma significat: Quid clarius? Denique nihil aliud sibi

*volunt verba Petri: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi. Ex his m. clarissime colligitur, antea non conuictū solummodo sed etiā Baptismū prohibitū fuisse gentibus. Id ipsum ostēdūt verba illa Iudaeorū fidelium admiratione plena, ut de re noua, & nondū neq; usū trita neque plane cognita. Igitur, & Gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitā. Ergo de pœnitentia, quæ in adultis praua erat ad Baptismū iuxta illud Petri Apostoli: Pœnitementi igitur, & baptizetur vnusquisque vestrum, Deum glorificauerunt, & de ea, atque de Baptismo Gentilium admirati sunt, non de conuictu solū. Illa quippè erant præcipua, & inusitata Gentibus dona. Quod si apud Chrysostomum eadem Hom. 24. Scriptum legis, Hinc postea apertum est ostium veniendi ad Gentes, moneo te Lector, ne velis in animū inducere, Chrysostomum hæc verba protulisse, quod senserit ostium ob nihil aliud, ad Gentes apertum fuisse, quàm ad conuictum eorum, & contubernium: nam ijs Chrysostomus primario significauit mysticum aduentum, & accessum ad Gentes per fidem Christi: sicut è contra de hoc eodem per fidem accessu Gentilium ad Iudæos, dixerat idem Chrysostomus Homil. 23. Macra Petre, & comede: quoniam, & Gentilem accedere oportet. ut scilicet hinc Iudæis, hinc Gentilibus accedentibus ad fidem, probe cohererent, & glutino Euangelij copularentur in vnum lapidem angularem Christum Iesum, qui fecit vtraque vnum ut Paulus ait. Itaque hanc fortassis metaphoram à Paulo suo usurpatam cogitabat Chrysostomus cum Baptismum, fidem, gratiam, dandam à Deo gentibus per Apostolos Iudæos, vocat apertionem ostij veniendi ad gentes. Igitur, & veteres Patres, & textus ipse Actuum Apostolicorum nuperi huius Expositoris, alioqui docti, & ingeniosi admodū viri procul dubio opinionē euertunt. Ea verò quæ pro se producit in medium possem equidem facili expositione diluere: Nolo tamen te, Lector, diutius in hoc vestibulo detinere, cum profectò eiusmodi illa sint, quæ viri cordati & eruditi, etiam me tacente, nequaquam admiserint. Itaque hic esto præloquiorum finis, Tu Lector.
 Hanc & Fave.*

AN=

53

ANTONII CARAC- CIOLI CLERICI

Regularis CONTROVERSIAM PRIMA

*De Accessu Beati Iacobi Apostoli
ad Hispaniam.*

I.



ISPANIAE antiquissimam Christianitatem anti-
quissimi Patrum abundè testantur. Incipiam à Cypria-
no Episcopo, & martyre, qui tertio Christi sæculo scrip-
sit, & floruit, atque ab eo postmodum ascendam ad su-
periora tempora. Is vñ cum Coepiscopis suis a insignem
Epistolam misit ad Episcopos Legionis, & Asturicæ, atq;
ad Emeritenses ciues, laudans eos, quod Basilidi, & Mar-
tiali Episcopis, immani Idololatriæ crimine contaminatis, Sabinum, &
Felicem legitimâ ordinatione substituisent. Erat igitur eo tempore His-
pania referta Christianis populis, Clericis, Episcopis.

a Epist. 68

2. Tertullianus Cypriano antiquior, quippè qui vixit imperante Seue-
ro, disputans aduersus Iudæos tribuit magnam laudem Hispanis, cum
narrat, *omnes eius Regionis terminos Christo fuisse subditos.* Quibus verbis de-
notat Hispaniarum regna non aliquot solummodo, sed prorsus omnia, vt
ibi Pamelius obseruat, iam tum Christi Euangelio fuisse imbuta. Libet
ipsa Tertulliani verba repræsentare. *In quem, inquit, b alium vniuersa gen-
tes crediderunt, nisi in Christum, qui iam venit? Cui enim, & alia gentes credi-
derunt Parti, Medi, Elamita, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phry-
giam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphyliam, immoran-
tes Aegyptum, & regionem Africa, qua est trans Cyrenem inhabitantes, Romani,
& incola. Tunc & in Ierusalem Iudei, & cetera gentes; vt iam Getulorum varie-
tates, & Maurorum multi fines Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersa
nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, & Sar-
matarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytarum, & abditarum multarum
gentium & Prouinciarum, & Insularum multarum nobis ignorarum, & qua enu-
merare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit reg-
nat; vtpotè ante quem omnium Ciuitatum porta sunt reserata, & cui nulla sunt
clausæ; ante quem sera ferrea sunt comminuta, & valuae aerea sunt aperta.*
Hactenus Tertullianus.

b li. aduersus
Iudæos cap
7.

3. Irenæus Polycarpi discipulus, & Apostolicorum pænè temporum E-

c. l. i. cap. 3

piscopus, in libro *e* aduersus Hæreses, breui, sed præclaro Elogio; *Ecclesiæ Iberorum*, hoc est, Hispanorum, laudat, quod veram, & Catholicam Christi fidem vnà cum Germanis Ecclesijs crederent, & traderent: *Et neque ha, inquit, que in Germania fundata sunt, Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque que in Iberis sunt.*

d. Ruff. l. i.
Hist. cap. 10

Quæ sanè verba referre nemo poterit ad Iberos Ponti Euxini accolæ: repugnat enim, & Irenæi contextus, qui supra Alemânos, infra habet Gallos, hoc est, Hispaniæ aut finitimos, aut non longè remotos: Et constat præterea Ponticos illos Iberos diu post Irenæi sæculum, nempe Imperatore Constantino ad Euâgelij fidem fuisse traductos. *d* Hos verò Iberos, ab Ibero Cantabriæ Fluuio nuncupatos, quos posterior ætas Hispanos appellauit, Christo Deo longè antea credidisse, etiam apud illos qui de Iacobi ad eas oras accessu dubitant, certum est.

e. ibid Maij.

4 Quis enim inficiabitur id quod Patres haud pauci, & Ecclesiæ Catholice Fasti, & Romani ipsi Pontifices de septem Apostolorum discipulis in Hispaniam missis vno propemodum ore tradiderunt? legantur Sancti, & vetusti Scriptores Isidorus, & Beda; ille in Breviario Toletano, quod luculenter condidit; iste in suo Martyrologio ad diem 15. Maij, comperiet lector, Torquatum, Ctesifontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Hesygium, & Euphrasium primo Enangelij sæculo Christianæ fidei lucem Occiduis Hispaniæ populis refudisse. Ecclesiæ verò Romanæ Martyrologium *e* id ipsum affirmat, traditque disertè, hos septem beatos viros Romæ à SS. Apostolis Episcopos ordinatos, *Postquam varijs Hispania vrbi- bus euangelizassent, atque innumeras multitudines Christi fidei subiugassent, in ea prouincia diuersis locis quieuisse, Torquatum Acci, Ctesifontem Vergij, Secundum Abula, Indaletium Vrci, Cæcilium Illiberi, Hesygium Carteia, & Euphrasium Illiturgi:* Ipsi denique Romani Pontifices Callixtus II. & Gregorius VII. ambo, & titulo, & vitæ probitate Sanctissimi, ille in Prologo secundi libri de Translatione B. Iacobi Apostoli (quod opus ab eo Pontifice scriptum; Innocentius II. Pontifex, & ipse Maximus alicubi memorat) alter in Epistola ad Alphonsum Hispaniæ Regem, tradunt, iam dictos septem Apostolorum discipulos ad Hispaniam ex vrbe directos, ibi, & prædicatione innumeros conuertisse, & sanguine demum pro Christo fuso, Hispanorum Ecclesias consecrasse.

5 His addamus Eugenium, & Euanthium Pauli discipulos, quos à Petro Ecclesiæ Toletanæ fundandæ in Hispaniam amandatos Hispanorum monumenta antiqua declarant. Lege Loaysam Notis ad Concilium Lucense, & Beuterum cap. 23. suæ Historiæ.

6. Vniuersè autem Hispanas Regiones non multò post Christi ad Cælos reditum Euangelium suscepisse, apertè colligitur ex Iustino martyre,

& Cle-

& Clemente I. Rom. Pont. asserentibus, vicesimo à Christi ascensione anno iam prædicatum fuisse Euangelium per totum orbem: Ergò & in Hispania, quæ hoc inter nobilissimas Orbis partes à Iustino Trogi Breviatore, Strabone, & Plinio recensetur:

7 Quid? Nonne & ipsimet beatissimi Apostoli Petrus, & Paulus Hispanias adire? De Petro quidem non adeò certum est; Innocentius tamen Rom. Pont. in Epist. ad Decentium id videtur asserere, & probabile profecto est, illum, quo tempore Claudij Cæsaris Edicto vnà cum Iudæis omnibus Roma pulsus, Occiduum Orbem lustrasse legitur, tunc Hispaniam in transcurso saltem inuisisse, Quod illi nequaquam fuit incommodum. Nam quando B. Apostolus perrexit ad Numidas, & Mauritanos (hos quippè Petrum adijisse Gregorius Magnus alicubi tradit) Hispaniam, angusto maris interiectu ab Africa separatam, quis non videt, & facillime potuisse, & pro suo vehementi propagandæ fidei studio voluisse percurrere?

8 Paulum verò, certa propemodum res est, quod ad Romanos scribens promiserat, se in Hispaniam abiturum, re ipsa præstitisse. Plurimi id affirmant æuo, & auctoritate grauissimi, Hippolytus martyr l, Athanasius m, Epiphanius n, Chrysostomus o, Hieronymus p, Theodoretus q, Cyrillus r, Gregorius Romanus s, Sophronius t, Theophylactus u, Fortunatus x, Beda y, Dorotheus z, Anselmus a, Ado Viennensis b, Lucas Tudenensis c, Glycas d, & vniuersæ Ecclesiæ Græcæ Fasti e, porro non sum nefcius id negasse nonnullos: sed cedere iure debent pauci plurimis, & maioribus posteris; præsertim, cum id quod alioqui opponunt ex Gelasij, & Innocentij verbis, quibus significant, à solo Petro, Petrique discipulis fundatas fuisse Ecclesias Occidentis, id facile interpretari possimus, aut Paulum à Petro seiunctum non debere intelligi (nam Romanam ipsam Ecclesiã, quæ profecto in Occidete est, ab iisdè simul fundatã fuisse Leo Magnus f, alijque veteres passim affirmant:) aut Paulum, breui illa in Hispania commoratione (breuis quippe, & exigui prouentus fuisse scribitur) nullam Ecclesiam potuisse fundare, hoc est, nullũ in ijs oris Episcopũ constituisse, nullã. Diocesim ordinasse, nullos sacrarũ rerũ ritus legesq; sanxisse: id enim est Ecclesiam fundare, & Hierarchiam Ecclesiasticam construere, vt ex Dionysio Areopagita alijsq; priscis, qui de ea re scripserunt, elicitor. Et vero præter tot veterum testimonia paulo ante producta, Romanum Martyrologium g palam edicit, Paulum, cum in Hispaniam contenderet, Proconsulem illum Sergium Paulum, quem ad fidem Christi conuerterat, apud Narbonam reliquisse, vt Euangelium in ea Vrbe disseminaret. Rursus, tum latinis, tum Græcis Fastis h habetur Xantippen, & Polixenam à Paulo in Hispaniã ad Christi fidem fuisse tradu-

ctas.

i lib. 14.

Lib. vi.

f lib. 2.

ep. 75.

g lib. 30.

h li. vi.

i Lib. 2.

Epist. 75.

k cap. 15.

l lib. de 72.

Discipul.

m Epist. ad

Dracont.

n Hæres. 27.

o Hom. 76.

in Matth.

p. in Amos

c. 3.

q. in Ep. ad

Rom. c. 15.

r Catech. 17.

s lib. 31.

Moral. c. 32.

t Ser. de A-

post.

u in c. 15. o-

pis. ad Ro-

man.

x Ep. ad B.

Mart. Gal-

lic.

y In Martyr

22. Apr.

z In Syno-

psi.

a In c. 16.

Epist. ad Rõ-

b De sex a-

ratibus

c in chro-

nico-

d In Anna-

libus.

e Ad 22

Qsob.

ctas. Sanè quidem iacta illic ab Apostolis Petro, & Paulo ipsorumque discipulis fidei semina in magnam messem excreuisse Inscriptio illa declarat, quæ adhuc extat in Hispania; eamque Neroni positam, bene in annum Christi 69. hoc est, paulò post dictorum Apostolorum necem Baroni-
us statuit. Libet autem hoc loco ipsam referre verbatim:

NERONI CL. CAES. AVG. PONT. MAXIM.
OB. PROVIN. LATRONIB. ET. HIS. QUI. NOVAM.
G^{NI}. HVM. SVPERSTITIONEM, INCVLGAR
PVRGATA M.

Viden' Lector Christiane, quàm inanis ista fuerit, & iactabunda adu-
latio. Ex ea tamen, vt dixi, habetur apertissimè, & Christianam Religionè
etiam tum in Hispania floruisse, & acerrimam extitisse Sexti Neronis
persecutionem, vt creditum sit Christi Ecclesiam ab eo penitus fuisse in
ea regione deletam.

Sed iam ad Iacobum mihi deueniendum est, qui ante hos omnes
Hispaniensem agrum Euangelij rore cæpit adspargere. Quod antequam
probem, profliganda mihi sunt quæ à nonnemine in contrarium obijci-
tur. Ea sane neque multa admodum, neque magna sunt, quamquam ex ijs
pleraque à Viro magno, & qui vnus instar multorum sit, producta. Eni-
tar autem ego diuino fretus auxilio adeò multa, & valida, atq; ex ijs non
pauca à nemine hactenus in hanc rem adducta proferre, vt tametsi postre-
mus in hanc arenam descenderim, æquis tamen Iudicibus actum agere
nequaquam videri queam.

Primum Argumentum.

^{2.}
APOSTOLI non discesserunt Ierosolymis, nisi post duodecim à
Christi morte annos, hoc est, à Christo nato 46. Atqui Iacobus ià
ab Herode occisus fuerat, vel anno Christi 42. videlicet anno pri-
mo Claudij Imp. vt ex Eusebio alijsque colligitur, vel, summùm, anno
Christi, 44. vt alijs quibusdam placet. Nullo igitur modo potuit ad His-
paniam proficisci. Antecedens traditur ab Apollonio grauissimo viro,
apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccles. cap. 17. Eusebij verba hæc sunt: *Apollo-
nius antiquus Theologus agens aduersus Cataphrygas testatur, se traditione ac-
cepisse Saluatorem mandatum dedisse Apostolis, ne vsque ad duodecim annos ab Ie-
rosolymis discederent.* Quod Apollonij dictum videtur aliquatenus firmari
posse ex Luca i narrante post necem Stephani, dispersis ob Iudæorum per-
secutionem Christi discipulis, aliò alijs, Apostolos tamen adhuc perstitis-

se Ier-

se Ierosolymis: Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quae erat Ierosolymis, & omnes discipuli sunt per regiones Iudae, & Samaria, praeter Apostolos. Hæc Lucas. Ibidem autem diu moratos esse Apostolos, Ioannes Chrysofostomus apertè videtur asserere: Apostoli, inquit, k predicauerunt Iudæis, longoque temporis spatio casti, & flagellati in Iudæa manantes, ac demum ab ipsis propulsi in gentes profecti sunt. Quamuis enim non dicat Chrysofostomus illos Ierosolymis præcisè, sed in Iudæa mansisse, nihil tamen id iuuat eos, qui Iacobi ad Hispanos accessum affirmant, tum quia ijs verbis Chrysofostomus adlusit fortasè ad Apollonij iam dictam traditionem, ac proinde Iudæam pro Ierosolymitana Ciuitate, & sub vrbis accepit; tum etiam quod satis sit Apostolos diu permanisè in Iudæa, ijs qui negantem partem tueri volunt.

K Hom. 7^o
in Matth.

RESPONSIO.

NONNULLI, vt huic argumento faciant satis, obseruant, traditionis vocabulum, quod citra dubitationè latinè legitur apud Eusebium, Græcè dubitando scriptum fuisse, *ὡς ἐν παραδόσει* tanquam ex traditione. Alij verò Apollonij auctoritatem labefactare non sunt veriti; dixeruntque hunc Apollonium non esse illum nobilem & eruditum Urbis Senatorem, atque inelytum Christi martyrem, qui Commodò imperante passus est, sed alterum quendam longè, & tempore, & auctoritate inferiorem, qui scripsit aduersus Cataphrygas sub M. Aurelio, & L. Vero, aut forte diu post. Quocirca non esse eum tanti, vt dicto eius in re ista alijs grauissimis Scriptoribus adeo contraria, credi debeat. Et verò Baronius ipse tomo I. Ann. 44. fatetur de illius Traditionis cum auctoritate, tum vetustate meritò posse dubitari. Nam quo pacto stare poterit, Apostolos Ierosolymis non discessisse ante duodecimum annum, si Petrus intra id tempus, & non diu post Stephani necem *pertraffat vniuersos, & deuenit ad sanctos qui habitabant Lydda*? Si anno Christi 44 hoc est triennio ante duodecimum assertum annum, non solum Ierosolymis ad finitima loca discessit, sed etiam Romam adisè, Eusebius in Chronico, & Baronius ipse alijque multi asseuerant? Imò, si anno sexto à Christi morte Petrus Antiochiam Syriæ abiit, ibique fundauit Christianorum Ecclesiam, vt idem Eusebius tradit in Chronico, factumque signat anno 4. Olympiadis ducentesimæ, nimirum ante hos duodecim annos & antequam Tiberius vita cessisset? Si idem Petrus anno à Christo nato 44. siuè, vt melius alij supputant 42. (vtique ante hos duodecim Apollonianos annos) exiit è carcere abiitque Cæsaream Stratonis, hoc est, non solum extra Ierusalem, sed etiam extra omnem Iudæam? Si Paulus, *cum adijt Ierosolymam videre Petrum*, (adijt autem anno Christi 39. hoc est diu ante hos duodecim annos, vt ex Epistola eius ad Gala-

l. 25. 9

m. 25. 10

n Gal. 1.

o Gal. 1

p Marc.
ult.1 lib. 2. de
Rom.
Pont. c. 6

tias cap. 1. latè, & doctè demonstrat Baronius Annali primo) nullum alium reperit Apostolum, o *prater Petrum, & Iacobum* Episcopum Ierosolymorum? Si Marcus, qui uti ex Eusebio colligitur, scripsit Euangeliū anno 2. Claudij, hoc est, à Christo nato 45. & ab eiusdem passione vndecimo, apertè tradit, iam tum profectos Ierosolymis Apostolos Euangeliū ubique prædicasse *p Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis?* His alijsque multis quæ studioso sacrarum Historiarū facillè suppetent, profligari à non-nemine poterit penitusque reijci iam dicta Apollonij malè fundata traditio. At ego mitius atque adeò reuerentius cū vetusto illo Theologo quem Eusebius, vetustus, & ipse Historicus laudat, agendum puto. Patrum quippè dicta, quoad fieri licet, non prorsus amoliri sed dextera aliqua interpretatione emollire debemus. Dico igitur quod Illustrissimus & eruditissimus, Card. Bellarminus iam antea dixit, & scripsit, *quod illud Apollonij intelligi debere, Ne omnes simul Apostoli intra duodecim à Christi morte annos Ierosolymis excederent, sed semper eorum aliqui ibi sisteret.*

11 Vel (si mauis) exponendum est, Ne ante id tempus Apostoli ex ea Vrbe prorsus abirent, non amplius redituri. Hac quippè ratione omnes iam dictæ Apostolorum quorundam discessiones fieri potuerunt, seruato interim Christi mandato, ne Ierosolymis nisi post duodecim annos emigrarent. Solida, & apta videbitur eiusmodi interpretatio, si consideretur hac eadem ratione à Sacris Historicis dici Petrum tenuisse Romanā Sedē ann. 25. & Antiochenā, antequā Romā adijisset an. 7. videlicet, non totos hos annos perpetuò Romæ, vel Antiochiæ manendo, sed idētidem redeundo. Quin, & Baronius ipse tomo 1. Annal. ann. 58. hoc eodem modo exponit Lucae verba Act. 18. *Sedit autem (Paulus Corinthi) annum, & sex menses, docens apud eos Verbum Dei:* Nimirū, ut tametsi interea aliò atq; aliò; uti occasio erāt, abierit, continuò tamen eodem redierit. Fit verò sic debere Lucam exponi apertè ostendunt ipsiusmet Pauli verba 2. Cor. 12. *Ecce iam tertio hoc venio ad vos.* Similiter Act. 20. scriptum est Paulum mansisse triennium Ephesi, cum tamen constet, non semper ibi eo triennio stetit sed ad alias interdum abiisse Ciuitates: Verum quia identidem Ephesum redijt, idē triennium ibi mansisse narratur. Igitur Assumptum illud in Argumento, aut penitus reiectum, aut idonea, & rationabili interpretatione expositum nihil prorsus habebit virium aduersus nostram de Iacobi ad Hispanias accessu sententiam.

12 Illud verò quod ex Luca subiiciebatur, Apostolos, dilapsis licet post necem Stephani ob persecutionis sèuitiam discipulis aliò alijs, Ierosolymis nihilominus perstitisse, profectò non tollit eos ipsos aliquantò post, inde alium aliò, uti supra significauimus, emigrasse. Quæ. n. ratiocinatio

lic

lic colligat? Apostoli in persecutione mota post necem Stephani, quæ anno Christi 34. contigit, Ierosolymis manserunt, ergo vsque ad anno Christi 46. numquam indidem discesserunt? Apage ineptam illationem.

13. Aequè propemodum inepta est Confirmatio, quam ex Chryso-
stomi verbis concinnant. Nam profectò non cogimur, verba illa Chryso-
stomi, *et longo temporis spatio* pro totis duodecim annis intelligere: sed satis
erit, vti mox aperit. imè ostendemus, si tres siue quatuor annos significet
Longum quippè temporis spatium quatuor anni erant Apostolis duode-
cim, totum prorsus terrarum orbem peragrare parantibus.

Hom. 70.
in Matth'

SECUNDA ARGUMENTUM.

14. **F**RVSTRA B. Iacobus in Hispaniam prædicatum abiisset: Non
est igitur id affirmandum. Antecedens probatur: nam neque Iu-
dæis Hispaniæ incolis, neque gentibus potuisset prædicare. Non
Iudæis; Hi quippè eo tempore nondum erant in Hispania; Falsum enim est
(vt latè ostendit Ribera Commentario suo in Abdiam Prophetam) quod
aliqui opinantur, præcepto Nabuchodonosor, post eiectionem Ierosolymis
atque excæcatum ipsorum Regem Zedechiam, in Hispaniam Iudæos fu-
isse amandatos. Non gentibus; quia viuente Iacobo, nondum erat apertū
ostium Gentibus. Primus siquidem è Gentibus ad Christi fidem tradu-
ctus fuit Cornelius, vt patet Act. 10. Atqui circa idem tempus occisum
fuisse Iacobum Lucas clarè insinuat Acto. 12. cum ait; *Eodem autem tem-
pore misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem
Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Quin etiam ex capite proximè præceden-
ti, hoc est, vndecimo, patet, vsque ad necem Iacobi neminem discipulo-
rum prædicasse gentibus, sed solis Iudæis. Illi quidem (scribit Lucas) *qui
dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta est sub Stephano perambulauerunt vsq;
Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.*
Quid clarius?

Act. 12.

RESPONSIO.

15. **N**EGANT Aduersarij B. Iacobum, vel ad Gentes, vel ad Iu-
dæos in Hispania potuisse prædicare. Affirmo ego & ad Gentes, &
ad Iudæos prædicasse. Audi quid Venantius Fortunatus ante an-
nos mille de B. Iacobi prædicatione cecinerit:

Cultoris Domini totum sonus exit in orbem,

Nec locus est, vbi se gloria celsa neget,

Gentiles docet hic; Iudæos increpat idem:

Frustrificans quæ Deo seminat Orbe fidem.

Prædicauit igitur, & Iudæis, & Gentibus. Et Iudæi quidem in Hispania
tunc erant, quicquid Ribera neget. Neque nobis profectò opus est, vt o-

stédamus (quamquam & id probabile est, & paulò inferius, veterum auctoritate firmabimus) Zedechia Rege capto, multos ex Iudæis in Hispaniam fuisse extrusos: sed asserimus, iam diù ante Zedechiam, ævo videlicet Salomonis, Iudæis negotiatoribus repletam fuisse Hispaniam, ut doctè, & disertè Ioannes Pineda, eximio illo suo de Gestis Salomonis Opere manifestum facit. Ipsum adeat Lector, & Promptuarium reperiet selectarum Antiquitatum. Sanè quidem sicut *in omni regione qua sub Cælo est*, erant Hebræi, quemadmodum cap. 2. Acta Apostolica contestantur, & Philo aduersus Flaccum, & de Legatione ad Caium, atque Chrysostomus Hom. 76. in Matthæum, alijque multi disertè tradunt, ita etiam in Hispania eo tempore, quo gens illa maximè florebat, extitisse, æquum est ut asseramus. Ne tædio sim lectoribus, vnus solummodo Anastasij Synaitæ prisci admodum, & Sancti Scriptoris testimonium referam ex lib. 10. in Hexamer. In 30. inquit, *libro Regum inuenimus nauem Salomonis singulis annis venisse ex Tharsis, qua est Hesperia regionis Occidentalis, & ferre ad eum aurum, &c.* Habuit igitur Hispania Hebræos quibus Iacobus, ipsorum *ἑμοχώπιος*, Christum annunciaret.

16 Potuit idem, & Gentibus Euangelij lucem inferre Iacobus antequàm capite truncaretur. Id duobis modis euincimus. Primo, etiam si concederemus, Euangelij ostium ijs nondum apertum fuisse, ac proinde ne iisdem Christus prædicaretur, vniuersè interdictum, non prohibet tamen regula generalis exceptionem aliquam singularem: quandoquidem, & Christus ipse dixerat: *u Non sum missus nisi ad oues qua perierunt domus Israel;* nihilominus non multò post, & Chananæam recepit, & alios atque alios Ethnicos, & Samaritanos. Itaque prædicatio ad Gentes non fuit prorsus inhibita, sed potius insinuata prælatio quædam; & ordo prædicandi: videlicet, ut Iudæi primas haberent, & excusationem nullam suæ ipsorum pernicietis atque obstinationis prætexerent. At postea, expulso atque refutato à Iudæis Euangelio, & eiectis cæsiuè Apostolis, alijque Christi discipulis, merito discessum ab illis est, & migratum ad gentes. Interea tamen dum Iudæis Christus annuntiaretur, potuit Iacobus aliquot Gentiles, veluti in transitu, ad Christi fidem adsciscere, sicuti etiam Philippus Diaconus Eunuchum illum Ethyopem, & Gentilem adsciuit, & salutari latice tinxit: nam prorsus Gentilem fuisse tunc Eunuchum illum, non autem, ut quidam opinati sunt, Profelytum, complurium Veterum, & recentiorum Scriptorum auctoritate fusè & validè probat Ioannes Lorinus, vir planè diligentissimus.

17 Sed vide quam sim liberalis. Detur, nullam prorsus exceptionem debere admitti: ostendam ego nihilominus, iam pridem apertum fuisse Euangelij ostium Gentibus, cum Iacobus ad Hispanos profectus est; ac

proinde

u. Math. 10

7. In c. 8.
16. 127.

proinde liberè eum & iure potuisse in illa Regione Gentibus prædicare. Quocirca illa, quæ secundum iam dictum Argumentum assumit uti vera, falsa ego existimo, & Veterum auctoritate fultus euinco. in primis, falsum est, eodem tempore contigisse Cornelij conuersionem, & Iacobi necem. Nam Iacobus obiit, minimum, anno post Christi Ascensionem octauo, aut nono, Cornelij autem conuersio contigit anno quarto. Vtrumque patefaciam apertissimè.

18 Et de Iacobo quidem, nihil opus est dicere quod ad Baronij supputationem spectet: Ipse enim id ultro concedit, asserit què Iacobum occisum fuisse anno Christi 44. hoc est, ab eiusdem Ascensione, decimo. Quod quidem plus est quam nos, aut petimus, aut arbitramur. Nam reuera, Iacobus capite cæsus est anno Christi 42. Hoc enim anno contigit Pascha Iudæorum die 24. Martij: ac proinde, cum ex B. Hieronymi testimonio & habeamus, Iacobum subiisse martyrium die secunda Azimorū, cū plures verò grauisimi Auctores, nempe Callixtus I. P. M. & Vincētius Bellouacēsis, b & Durandus Episcopus Mimatensis c tradant id factū die 25. Martij, profecto cogimur ad hunc annum Christi 42. figere Iacobi necem, atque Baronium his non stantem, & B. Hieronymi dicto sese opponentem nunc obiter confutare, aliàs pluribus, & diligentius confutaturi.

z. In Ezech.
43.
a Lib. de Mirac.
S. Iacobi.
b lib. 8.
Specul.
Histor.
c In ration.
l. 7 c. 7

Video equidem eiusmodi Cardinalis Baronij supputationem nostrā sententiam de Beati Iacobi ad Hispanas gentes prædicatione valde iuuare posse. Nam quantò diutius Iacobus vixisse asseritur, eò longius temporis spatium intercessit inter illius necem, & ostium gentibus patefactum: sed profecto decet fidum Historicum non quod suam quomodocunque iuuet sententiam sed quod verius existimet, amplecti semper atque tueri.

19 Quod verò Cornelius non anno octauo à Christi Ascensu, uti Baronius censet, sed summum, anno quarto, baptizatus fuerit, vnaque gentibus ostium Petrus Apostolus reserauerit, id quidem cum multi Patres asserunt, tū etiā ex ipso textu Actū Apostolicorum haud difficile colligitur. Ex Patribus Clemēs Romanus, Ruffinus Aquileiensis, Augustinus, Venantius Fortunatus, & Isidorus Hispalēsis, locis infra citādis vniuersè significant distribuisse sibi Apostolos, Orbis Prouincias, & Symbolum composuisse non multò post Pentecosten, & acceptum Spiritum Sanctū. An verò tunc etiam profecti fuerint prædicatum, id isti non exprimunt. At Theodoretus Chrysofomi discipulus apertè asseuerat tres solummodo annos, & sex menses mansisse cum Iudæis Apostolos: mox ijs relictis concessisse ad excipiendas in Christi thalamum Gentes: Atque in hac sententiam grauisimus iste Pater exponit verba illa Danielis: d Confirma-

d Dan. 9.

Comment
in Dan. 9.

bit autem pactum multis hebdomade una, & in dimidio hebdomadis deficiet Hostia, & Sacrificium: nimirum intelligens, Christum dimidia annorum hebdomada, hoc est, tribus totis annis, & aliquot mensibus prædicasse Iudæis, & Euangelium suum signis, ac miraculis confirmasse: altera autem dimidia hebdomada, hoc est, sex itidem mensibus, & annis tribus, Apostolos iisdem Iudæis quibus Christus prædicauerat, prædicasse. Porro ipsa Theodoretus verba libet, & conducit hic ponere. In hac, inquit, (vna hebdomade) nouum Testamentum dabitur credentibus, atque omni eos virtute imbuet & in dimidio huius hebdomadis auferetur Sacrificium, & libamen; hoc est, sacrificium secundum legem deficiet, oblato immaculati Agni, qui tollit peccata mundi vero Sacrificio. Et post pauca subiicit. Quod si quis etiam percipere cupiat, ex Euangelio Ioannis cognoscetur. Cum enim annos circiter tres cum dimidio prædicasset Dominus, sanctosque suos discipulos doctrina, & miraculis confirmasset, tunc passus est, ac post crucem, & mortem, & Resurrectionem, & ad Cælos Ascensum, & Sanctissimi Spiritus aduentum, reliquum hebdomadis tempus, S. Apostoli Ierosolymis prædicantes, & miracula edentes, multis hominum millibus ad Euangelicam doctrinam adductis, Noui Testamenti munus impertiti, vt Sanctissimi quoque Baptisti gratiam consequerentur, auctores fuere. Deinde cum Iudæi in S. Stephanum impia illa facinora ausi fuissent, per oppida Iudææ populis dissipatis, Diuini Apostoli breue tempus Ierosolymis commorati, Samariam, Lyddam, & Ioppen obeuntes, omnibus hominibus, afferre salutaria decreta festinabant. Quamobrem Diuus Archangelus B. Danieli, Confirmabit, inquit, Testamentum multis hebdomada una, tempore scilicet ante Crucem Domini, & eo quo Sancti Apostoli post Saluatoris Resurrectionem Ierosolymis docuerunt, simul collecto. Ecce quam perspicue Theodoretus affirmat, Apostolos breue tempus Ierosolymis commoratos, & non plusquam annos tres cum dimidio post Christi mortem solis Iudæis ad fidem Euangelij conuertendis consumpsisse, atque post hos ad Gentes emigrasse, & omnibus hominibus, hoc est, omni creatura, vt Christus præceperat, f. Euangelium prædicasse. Hoc ipsum diu ante Theodoretum Eusebius Cæsariensis, g. sed breuius, atque adeo paulò obscurius scripserat. Et B. Hieronymus eius verba retulit, nec improbauit; Ed quidd vt piè, & prudenter inquit, periculosum sit de Magistrorum Ecclesie iudicare sententijs. Eadem, & nos referemus apud Hieronymum g. reperta. Quod Daniel infert: Confirmabit enim pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, sic Eusebius libro octauo (Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως) interpretatur quod Herode regnante apud Iudæam, & Augusto apud Romanos, Christus natus sit, qui tribus annis, & sex Mensibus iuxta Euangelistam Ioannem Euangelium prædicauit, & confirmauit veri Dei cultum multis (haud dubium quin Apostolis, & credentibus) quando post passionem Domini in dimidia rursus Hebdomada defecit Hostia, & Sacrificium. Hæc Eusebius. Si i-

f. Matt. 20

g. l. c. 9. Daniel.

gitur

gitur in dimidia hebdomada annorum, defecit apud Iudæos Hostia, & Sacrificium, consequens est, vt intelligamus post id tempus Apostolos relictis Iudæis Sacrorum inanibus, emigrasse ad Gentes. Video equidem Eusebium, vt dixi, obscurius id expressisse, ideo Theodoretum, quamquam illo posterioris verba præmisi. Cui sanè videtur egregiè, & perspicuè ad stipulari Marcellinus Comes, scribens Indiēt. 3. Philoxeno, & Probo Cofs. hoc est anno Christi 525. Ioannem Summum Pontificem Constantinopolim adijisse anno 485. à Sede Petri, quod est dictu Petrum venisse Romam anno Christi 40. biennio scilicet ante tempus ab Eusebio assignatum. Nam si à 525. detrahas 485. remanent profecto anni 40. Iam verò cum ex Actis Apostolicis, fatente ipso Baronio, habeamus, triennio, siue etiam quadriennio antequam Petrus Romanam Sedem iniisset, fuisse ab eo Cornelium baptizatum, & ostium fidei Gentibus apertum nam Baronius signat Sedem Petri Romanam anno Christi 45. ineunte, & Cornelij baptismum anno 41. sequitur, vt Marcellino figenti Romanam Petri Cathedram anno Christi 40. figenda eidem necessariò sit Cornelij conuersio, & Euangelica ad Gentes prædicatio anno Christi 37. siue summū 38. hoc est, anno circiter 4. à Christi Ascensione, vt Theodoretus scripserat. His accedit Euthalius Diaconus libello de vita, & peregrinatione Pauli, qui tradit Paulum cum Ierosolymam reuersus est, vt Petrum inuiseret (quod 4. post Christi Passionem, & 38. ab eiusdem Natiuitate signant Chronographi tertio scilicet anno à Pauli conuersione, vt ipsemet in epistol. ad Galathas h scriptum reliquit) vnà cum Petro dispersisse inter se humanum genus, videlicet, vt ipse Gentium, Petrus autem Iudæorum esset Apostolus. Arbitratur igitur Euthalius eo ipso anno ià apertum fuisse ostium Gentibus, cum harum præcipuam curam suscepit Paulus: alioqui cur is traducendis ad Christi fidem Gentibus fuisset eo anno destinatus, quibus nondum licuisset Euangelium prædicare? Quid? Nonne & B. Hieronymus, Vir quidem & Marcellino, & Euthalio longè clarior atque antiquior, eandem sententiam fouet? Vide quid scribat in illud Apostoli *Alium autem Apostolorum vidi neminem. Non vidit autem alios, inquit, præter Petrum & Iacobum fratrem Domini: non quòd contemptui duceret, sed quòd illi, ad Euangelium prædicandum, toto fuerant orbe dispersi.* Hunc verò Paulicum Petro, & Iacobo congressum anno tertio à Pauli conuersione, hoc est, quarto à Christi Ascensu contigisse idem B. Hieronymus paulò superius habet. Verùm quid amplius Patrum dicta huc affero? Ipsemet Lucas, si paulò diligentius inspiciamus, non obscure significat, anno circiter 4. à Christi Passione apertum fuisse gentibus ostium. Nam cap. 9. describit Apostoli Pauli Conuersionem: quam et si Eusebius collocat anno Christi 34. quia tamen Martyrologium Ro-

manum

h Gal. 2.

i In commē.
super Pauli
Epist.

manum tradit contigisse biennio post Christi Ascensionem, rectius mihi cum Onuphrio statuenda videtur anno Christi 35. Pergit autem continuò Lucas narrare Paulum mox à Conuersione cum Damasco fugeret adijisse Ierosolymam. Accessus autem iste non est idem, atque ille de quo Paulus ad Galatas scripsit, vt benè Hieronymus, & fortassis etiam Chrysostomus, atque ex recentioribus Lorinus, & Cornelius censent. Subijcit deinde Lucas Aeneæ sanationem à Petro dum Ecclesiam visitaret Lyddæ factam: & post hæc statim adnectit Cornelij baptismum, & referatum Gentibus ostium. Ratiocinare nunc mecum, prudens Lector, Nonnè satis superque est biennij spatium ad hæc quæ ex Luca retulimus pauca gesta? Probè igitur, & ad Lucæ contextum congruenter Patres ij quos adduximus tradiderunt, quarto post Christi Ascensionem anno, hoc est, ad finem Hebdomadæ Danielis septuagesimæ, emigrasse Apostolos ad Gentes, Christi Euangelio subiugandas.

20. Sed vt præter auctoritatem tot tantorumque testium, rationem etiam aliquam in medium proferamus, profectò verisimile non est, Apostolos qui ad Pentecosten vsque, Spiritus illapsum Ierosolymis expectare à Christo Domino iussi sunt illis verbis: *k Sedete hic donec induamini virtute ex alto; Quique iam ab eodem destinati fuerant Prædicatores ad Gentes l Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* suo postmodum tempore, hoc est, vbi primum prædicassent Iudæis Christum, legationem ad Ethnicos impleturi, ipsos tantò Christi præcepto, vsque ad octauum siuè, vt alij putant, decimum annum dilato, clausum interea Gentibus ostium tenuisse. Paulus quidem, & Barnabas cum Antichoia Pisidiæ Iudæis Christum annunciaissent, neq; illi statim acquiescerent, *vobis*, dixerunt, *m oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeterna vita, ecce conuertimur ad Gentes: sic enim nobis præcepit Dominus n posui te in lucem Gentibus, vt sit in salutē vsq; ad extremum terræ.* Quomodo igitur expectarēt totos octo, vel decem annos alij Apostoli iam pridē Messores Gentium designati & diuinis armati falcibus? video obijci mihi posse, Matthæum scripsisse suum Euangelium, antequàm ad Gentes emigraret, quemadmodū Irenæus apud Eusebium, & Nicephorus tradunt: Scripsisse verò eum, anno minimum septimo, vel octauo à Christi morte, Eusebius in Chronico, & Theophilactus Proæmio in Matthæum asserunt; ac proinde apertè hinc colligi, Matthæum nō ante octauum annum ad Gentes fuisse profectum. Atqui id equidem concessero non inuitus: Nam id de vno, aut altero Apostolo concludere aliquid poterit, non autem de cæteris omnibus: iam enim diximus, cum Apollonij supra memoratam traditionem exponeremus, vsque ad duodecimum à Christi morte annum semper aliquè ex

Apo-

*k Luc. 24.**l Matth. 28**m Act. 31**n Isai. 46.*

Apostolis in Iudæa stetit, ne Synagoga quamquam perfida, & ingrata, prorsus à Deo deserta per id tempus videretur. Remanserit itaque Matthæus in Iudæa, vsque ad scriptum Euangelium. Remanserit item ad conuertendos Iudæos Iacobus Alphæi filius, vt Ierosolymorum Episcopum decebat. Nobis satis est ostēdisse, Apostolos potuisse à 4. post Christi Ascensionem anno è Iudæa secedere, & vbilibet docere Gentes, vt porrò docuerunt.

21. Ad seriem igitur Argumenti respondeo, falsum esse quòd Iacobus obierit, vel autequam ostium Gentibus aperiretur, vel propè id tempus. Quatuor enim totos annos cum dimidio, vti iam probatum est, post apertum Gentibus ostium Iacobus vixit, ac proinde vel totum id spatium, vel maiorem certè partem potuit infumere in profectioe ad Hispanos, atque Euangelij in ijs prouincijs prædicatione. nam octauo, minimum anno post Christi Ascensionem capite plexus est. An autem totos hos quatuor annos in ea re transfegerit, planè non constat. Probabile tamen est, ex Hispania quam ocysimè reuertisse, vt traditio, & monumenta Hispanorum non obscure significant.

22. Ad illud autem quod subiicitur, videri ex Actuum Apostolicorum serie, eodem ferè tempore contigisse, & Cornelij conuersionem, & Iacobi necem occurro ex doctrina Chrysoctomi o notatu dignissima, eiusmodi Sacræ Scripturæ formulas, *Tunc eodem tempore In diebus illis*, & id genus alias non significare nexum temporum, neque præcedentium dictorum cum sequentibus contextum, sed tempus quo futura sunt ea que narrantur, & indefinitum quoddam spatium non æquo longius aut præcedens, aut subsequens. Exemplis ex eodem Aureo ore pet tis id constabit apertissimè. Matth. 3. *In diebus illis venit Ioannes Baptista*, &c. Cum tamè triginta propemodum anni præterierint ab Aduentu Magorum, & Christi Natiuitate, quæ paulò ante narrauerat. Matth. 24. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus*, &c. non significatur aduentum Christi Iudicis fore post excidium Ierusalem immediatè: sed volens Euangelista more Sacrorum Scriptorum digredi ab excidio illo ad Aduentum Christi, vtitur illa particula, *Tunc*. Item Act. 5. *In diebus illis crescente numero discipulorum factum est murmur Græcorum*, &c. Quæ res non significatur contigisse continuo post Apostolorum flagellationem, sed suo tempore quo contigit. Itaque eodem modo, & hic locus ex Act. 12. nobis obiectus diluendus est. Adde his, Beato Lucæ familiare esse, maximè in Actis, ὁσπερ προερεπον, vt eruditissimus Genebrardus obseruauit. p Quocirca Oecumenius in hæc ipsa Actorum verba, q *Eodem tempore misit Herodes Rex manus &c.* Lucam, inquit, *tempus illud dicere quod erat sub Claudio Cesare, nam superiore capite scripserat de fame illa sub Claudio grassante, & de eleemosynis collectis: non*

o Hom. 10.
c. 77 in
Matth.

p In Chrono
graphia.
q In Catena
ad cap. 12.

it aq. signare eodem tempore quo Iacobus occisus est, Cornelium fuisse baptizatum. Præterea si nectendum est caput duodecimum cum præcedentibus, utiq; cum proximo vndecimo potius, & pressius nectendum esset, quàm cum decimo capite quo narratur Cornelij conuersio. Vndecimum autem caput, multorum annorum gesta, si bene aduertatur, continet. Habet enim & reuersionem Petri à Cæsarea Ierosolymam, quam subito post baptizatum Cornelium contigisse, nulla suadet ratio. Imò aperto iam Gentibus ostio, aliquandiu inter Gentiles summum Ecclesiæ Pastorem substituisse, æquum est existimare. Habet item Cypriorum, & Cyrenensium Christianorum ad Græcos, hoc est, Ethnicos (sic enim Beda, Lyranus, Glossa Strabi, Carthusianus, Ben. Arias accipiunt) Euangelij prædicationem, quæ quandiu durauerit, prudentis Lectoris est arbitrari; Habet Barnabam, & Paulum, integrum annum Antiochiæ ubi plurima mensis erat, demoratos, & operatos. Habet Agabi Prophetæ Antiochiam aduentum, & prædictæ fami deminuendæ eleemosynarum coactas stipes, ut Christianorum inopiæ succurreretur. In his perficiendis, quatuor circiter anni facile effluerunt, totidem videlicet, quòt à baptisate Cornelij ad Iacobi obitum decurrisse iam plurima Veterum auctoritate, & firmis item rationibus supra probatum esse satis superque arbitror.

24. Denique quod cap. 11. legitur eos qui dispersi fuerant post Stephani necem nemini locutos esse verbum, nisi solis Iudæis, nullius certè momenti est. Nàm mox subiicitur: *Erant autem quidam ex eis Viri Cyprij, & Cyrenæi, qui, cum introissent Antiochiam, loquebantur, & ad Græcos, annuntiantes Dominum Iesum.* Itaque Lucæ mens hæc est, Arià Montano viro vnde quaque doctissimo exponente; Ex illis qui dispersi fuerant, eos qui in Iudæa nati, cum Gentibus nunquam consueuerant, non solum à conuictu Gentilium, sed etiam ab omni alloquio abhorruisse: Cyprios verò & Cyrenæos, quia inter Græcos nati, & ab incunabilis versati fuerant, non dubitasse Gentiles adire, & aperto iam illis per Petrum ostio salutis, Dominum Iesum annuntiare. Hæc Lucæ mens est vera, & germana. Ex his igitur Actorum verbis integrè recitatis, tantum abest, ut elici possit, vsque ad occisum Iacobum solis Iudæis, non autem & Gentibus prædicatum fuisse Euangelium, ut potius apertissimè indidem habeatur oppositum. Tanti est integræ sententiæ verba repræsentare, & sermonis consideratè perpendere.

25. Porro ea quæ ad confutandum secundum aduersæ partis argumentum hæcenus diximus, sufficere sanè potuissent: Sed quoniam Card. Baronius, tantus Vir nominis, Tomo 1. Annalium profiteretur, se post diuturnum laborem, atque studium, in eam tandem deuenisse sententiam, ut compositio Symboli, ac diuisio Apostolorum non antequam Christi

†4. contigerit, ex occasione videlicet occisi Iacobi, & in carcerem trusi

Petri

Petri, operæ pretium mihi videtur, vt antequam vltius procedat disputatio, hoc etiam obstaculum amoueamus. Breuiter dico. Recentiorum coniecturæ quælibet (coniectura enim sola Baronius nititur) meritò facte debent, vbi antiquorum Scriptorum certa assertio oppositum tradit, aut docet. Itaque quod inquit Baronius, tunc Apostolos Symbolum confecisse, Orbis prouincias diuisisse, & ad prædicandum emigrasse, cum iam à Iudæis propellerentur, & ab Agrippa Rege ad necem quærentur, profectò stare non potest cum Veterum placito, qui & numero multi & auctoritate magni senserunt, Apostolos multò citius Orbis prouincias inter se distribuisse, & Symbolum fidei condidisse. Hi sunt, quos iam antè significauimus, sed nunc aliquorum sententiæ verbaque recitanda sunt Clemens I. epist. I. *Christo itaq, resurgente, & ascendente in Cælum, misso Sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in vno positi, Symbolum quod fidelis nunc tenet Ecclesia, quod vnusquisq, sensu, dicendo, condiderunt, vt discedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Eadem prorsus verba habet Venantius Fortunatus Præfatione in Symbolum Apostolorum. Quocirca dictum eius referre supersedeo. Neque multum diuersè loquuntur Augustinus serm. I. in Vigilia Pentecost. & Ruffinus in expositione Symboli. Omnes enim hi significant non diu post Festum Pentecostes, & donum linguarum, Apostolos Symbolum condidisse. Notanda enim sunt verba illa Clementis, & Fortunati: *adhuc in vno positi.* Exprimunt quippè, Apostolos, dum adhuc Ierosolymis vnà degerent, Fidei tesseram confecisse. Quamuis igitur certam non tradant hi Patres diem, annum uè conditi Symboli, clarè tamen videntur significare, id contigisse, antequam Petrus, vel Antiochiam abiret; (quod anno sexto à Christi Passione signatur in Chronico Eusebiano) vel Samariam mitteretur cum Ioanne, *et vel pertransiens vniuersos deueniret ad Sanctos, qui habitabant Lydda.* Istæ enim fuerunt primæ, & proximæ Apostolorum ab Ierosolyma profectioes. Adde his, si ex occasione occisi Iacobi, & in carcerè trusi Petri, conditū est Symbolū & distributus est Orbis, sequeretur, Iacobum neque in sortitione Prouinciarum, neque in compositione Symboli interfuisse. Quod quid aliud est, quam aduersari Patribus Augustino, & Ruffino, u Leoni, x qui Iacobum Zebedæi, secundum articulum Symboli enuntiasse tradunt?

26 Cæterum, nemo interim ex his quæ nuper diximus suspicetur, nos aliquo modo probare Pseudomelithonis cuiusdam opinionem, à Beda y Viro sanctissimo, & doctissimo, meritò reprobata, atque incauta temeritatè nota damnatâ, qua ille contra id quod in Actis habetur, Apostolos, post necem Stephani, adhuc perstitisse Ierosolymis, ausus est affirmare ad finem primi anni post Christi Domini Passionem diuisos ab inuicem

Act. 8.

Act. 9.

Sermo. 115
de:

Temp.

u In expl.

Symb.

x Ep. 13. 24

y Serm. 1.

de Pass.

y Re tract

in meta. c. 8

Apostolos, alios aliò abijisse. Hi. n. quos retuli Patres id solummodo asserunt, aut innuunt, Apostolos adhuc in vno positos, hoc est, antequam Ierosolymis egrederentur, atque annis non multis post Pentecosten, Symbolum cõposuisse, & orbis regiones distribuisse. Quod autem vix elapso anno primo à Christi morte abierint prædicatum ad Gentes, id neque ij scriptum reliquerunt, neque ego vnquam asserere ausim: quia fatis est firmando Iacobi accessui ad Hispanos, Veterum testimonio probasse, quatuor circiter annis antequam is capite truncaretur, ostium Euangelij fuisse patefactum Gentibus.

TERTIVM ARGVMENTVM.

INNOCENTIVSI. Summus Pontifex, Epistola ad Decentium
27 Episcopum Eugubinum, cum dixisset, seruari debere quæcunque à Petro Apostolorum Principe Romanæ Ecclesiæ tradita essent, continuo subdit. *Præsertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, atq; Siciliam, Insulasq; interiacentes nullum instituisse Ecclesias nisi quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut eius Successores constituerunt Sacerdotes aut legant si in ijs Prouincijs alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse.* Citat hanc Epistolam (ne de fide illius dubitare quis possit) B. Gregorius VII. ad Dominicum scribens: & Gratianus hæc ipsa verba refert dist. 11. cap. Quis nesciat. Hisq; consentanea habet S. Ambrosius, vel quisquis ille fuit (vetus certè scriptor, & Ambrosio æqualis) qui Ambrosij nomine circumfertur in cap. 15. Epistolæ ad Romanos, ad ea Pauli verba: *Cum in Hispaniam proficisci capero videbo vos. Venturum se, inquit, promisit tempore quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus, Adduci etiam poterit B. Hieronymi dictum, caput Amos quintum exponentis. Paulus vocatus à Domino effusus est super faciem vniuersæ terra, vt prædicaret Euangelium de Ierosolymis vsque ad Illyricum, & edificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed vsq; ad Hispanias tenderet, & à mari Rubro, imò ab Oceano, vsque ad Oceanum curreret.* Si igitur Innocentius Pont. Max. aperte tradit nullum Apostolorum in Hispania docuisse, aut instituisse Ecclesias excepto Petro: Si Ambrosius atque Hieronymus tradunt Paulum in Hispaniam contendisse vbi Christus non erat prædicatus, ipsumque Gentium Apostolum super alterius fundamentum noluisse ædificare quis deinceps audeat appellare Iacobum, Hispaniæ Apostolum? Quis eum ante alios in Hispaniam abijisse, ibique Euangelium prædicasse amplius asseueret?

RESPONSIO

R E S P O N S I O.

28 **N**ON rarò inter disputandum accidit, vt si quid, vel ob rei obscuritatem, vel ob argumenti longitudinem prolixius est refellendum, id quidem molestiam fortassis, & fastidium creet, formidinem verò nullam potis sit incutere. Eiusmodi, nisi fallimur, erunt, quæ ex Innocentio, Ambrosio, atque Hieronymo obiecta sunt. Primum enim, quod ad Innocentium spectat, Archidiaconus ante trecentos annos, & post eum alij doctissimi, & grauissimi Canonum Interpretes, atque Theologi etiam complures, adeò doctè, & verè eius verba explicauerunt, vt nihil planè periculi iam sit, ob ea posse Iacobi, vel Pauli ad Hispanos accessum, aut aliqua ratione negari, aut in dubium vllatenus verti. Hieronymi verò atque Ambrosij dicta multò faciliùs interpretabimur, Innocentio explicato.

29. Porrò, si Beatissimi Innocentij verba ruditer accipiamus, quot absurda sequentur? Neque Calabri, neque Siculi, neque Melitenses, neque Narbonenses, neque Hispaniarum regio, aut locus vllus; imò (quod in Historia monstruosius est) neque ipsa Roma Paulum prædicantem, aut Ecclesiam instituentem habebit. Quibus tamen locis singulis B. Apostolum aliquandò fuisse, docuisse, prædicasse, partim ex Historijs fide dignissimis, partim ex ipsis sacris literis certò constat. Quocirca nonnulli, vt hæc, & alia quæ in idem deduci possent incommoda deuitarent, eò confugerunt; vt dicerent, in Responsis Pontificum ea quidem quæ ad fidei dogmata pertinent reijci, nisi læsa pietate, non posse. ^{z Vide Can de lecat. Theol. lib. II. cap. 3. & 5.} At si qua Summus Pontifex obiter inserat, quæ rem quampiam gestam contineant, ijs cum sint eiusmodi, vt humana, hoc est, lapsui prona fide nitantur, licere, seruata tamen modestia, dissentire. Ea de causa Aristotelem fidem humanam virtutum intellectualium numero exemisse, quòd iuxta ad falsum atque ad verum inclinet. Hoc esse quod doctores Sacrorum Canonum Consultissimi, & Summi Pontificis Maieftati, vt patet est, deuotissimi, grauer docent, assertioni Romani Pontificis tunc standum esse, cum quidpiam à seipso gestum narrat, ei quæ narrationi maximè nititur; Rem verò ab alio quopiam gestam, super quam Summus Pontifex orationis suæ argumentum minimè fundet, posse non recipi, eò quòd tunc non tam Pontifici, quàm ijs qui rem Pontifici exposuerunt, contradicatur.

30 Affine his videtur, si respondeatur, Innocentium idcirco dixisse, neminem Apostolorum excepto Petro, & ab eo missis in Hispania alijsq; eo loci enumeratis Regionibus docuisse, quia id eius ætate nondum erat scripto traditum. Hanc verò explicationem non esse ab Innocentij mente alienam ipsemet videtur significasse, cum subiecit: *Aut legant si in ipsis Pro-*

uincijs alium Apostolorum inuenitur, aut scribitur docuisse. Quod si non legant, quia nusquam inuenitur, oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, à qua eos principium recepisse, non dubium est. Itaque ad Historicorum lectionem Innocentius ablegat, quorum neminem sua ætate reperiri, qui secus scripsisset, probè nouerat. Nam quòd ad Paulum attinet licèt certum sit, Paulum Romæ, & alibi in Occidente prædicasse, non censetur tamen seiunctus à Petro, imò idem quodammodo dici possent Petrus, ac Paulus quoad doctrinam, & prædicationem, non personarum vnitate, sed prædicandi & instruendi identitate: vt doctè, & eleganter Archidiaconus, & Præpositus inquit. Hieronymus autem siuè Sophronius, qui Thomam Germanis; Nicephorus, & Dorotheus Abbas, qui Simonem Britannis, & Afris; Beda, & Alexander Monachus qui Barnabam Liguribus, atque Insularibus; Chrysostomus, Hieronymus, Apringius, Isidorus, & alij, qui, vt postea fusè dicemus, Iacobum Hispanis Christi fidem disseminasse scribunt, Innocentio posteriores extiterunt, aut certè ad eò æquales, vt illorum de hac re scripta Innocentius fortassis legere nequiuert. Scripto igitur hæc tum non planè constabant, sed, vt rebus domesticis, & municipalibus fermè accidit, traditione solummodo. Ad hunc modum Aedes illa Lauretana sacratissima, & Cœli, terræque miraculum; ante 300. fermè annos, nullis scriptorum monumentis, sed votis tantum vocibusque piorum hominum celebrabatur. Id ipsum Guadalupensi, & montis ferrati vetustissimis, & Augustissimis Templis accidisse, sunt qui obseruauerint. Porrò Traditiones singularum Urbium, siuè gentium rarus exterorum est, qui noscat, aut perquirat: vt proinde mirum non sit, Innocentium Pontificem Albæ genitum, Romæ educatum, minus sciuisse, quid Hispani, quid Afri, quid Britanni, absque scripto, conscientia tantum, atque animi deuotione fouerent.

Nos autem hoc potius effugio, quam firma responsione, posse quempiam à tertio hoc argumento elabi, minimè arbitramur; quippè B. Innocentius non obiter scripsit, aut retulit id quod de Petro fundante Occidentis Ecclesias recitatum est, sed consultò profus, & accuratè, vt eius verba indicant. Ab omnibus enim seruari debere, quod Romana seruat Ecclesia ex eo præcipuè concludit, quod manifestum sit, in omnem Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, atq; Siciliam, Insulasq; interiacentes, nullum instituisse Ecclesiam, nisi eos quos Venerabilis Apostolus Petrus, atq; eius successores constituerunt sacerdotes. Itaque cum id Beatissimus Pontifex sciens prudensq; asseueret, & notū manifestūq; esse grauisimis verbis edicat, quis audeat rem tantam à tãto Præsule scriptam, atque in Sacros Canones à Gratiano relatam, eiusmodi ratione huic rei inepta, negare?

31 Quocirca probabilior mihi videtur ea verborū Innocentij explicatio

quam

quã Præpositus affert Cõmentario suo in cap. Quis nesciat. dist. II. Neminem quidem ante Petrum fundasse, & instituisse Occidentis Ecclesias: non negare tamen Pontificem, Apostolorum, aut discipulorum Christi aliquem, etiam in Occidentem iuisse, & prædicasse ante Petrum, modo Ecclesiam in occidentalibus ijs, quas enumerat, Prouincijs, non fundauerit, aut instituerit. Quippè valdè diuersum esse aiunt fundare siuè instituire, Ecclesiam, atque simpliciter prædicare: Nam fundatio Ecclesiæ dicit constructionem, & dispositionem Ecclesiasticæ Hierarchiæ. i. Episcoporum, Sacerdotum, & aliorum Ordinum seriem: & leges conditas, atque sancitas: at simplex prædicatio verbi Dei hæc non comprehendit. Probasse quodammodo hanc explicationem videtur aut, certè, non improbasse, Baronius Cardinalis, quippè qui tom. I. Annal. ad annum Christi 39 u. 16. simili modo exponit illud Eusebij, & Anacleti, atque aliorum veterum Scriptorum asserentium, Antiochenam Ecclesiam à Petro fuisse fundatam: Ait namque non idèò negari alios quosdam ante Petrum Antiochiæ prædicasse Euangelium; iam enim ex Luca Actorum cap. 8. haberi eos qui post B. Stephani necem dispersi sunt fideles, illuc abiisse, & prædicasse Christi fidem. Ad eundem igitur modum inquam ego, cum S. Greg. VII. scribit Ecclesias Africæ erectas à Petro constitutasque fuisse haud perinde negat, illic aliquandò prædicasse Simonem Apostolum, quod tradunt Nicephorus, & Dorotheus. Itaque Innocentio ad hunc modum exposito, omnia quæ aduersari videbantur, fortassis dilui possunt. In primis non obstabit Innocentius Pauli in Italia, atque Hispania prædicationi; tùm quia, vti supra dicebamus, Paulus nequaquam intelligendus est seiunctus à Petro (Ecclesiam quippè Romanam, quæ nimirum in Occidente est, vnà cum Petro instituisse certum est) tùm etiam quod breui illa, dũ Hispaniam inuisit, prædicatione, nullam inibi Ecclesiam fundasse memoratur. Similiter Iacobus, primus quidem omnium, & ante Petrum (si tamen Petrus eò vnquam profectus est) Hispaniam adiit, at paucos solummodo aliquot ad Christi fidem conuertit, hoc est, semina Diuini Verbi obiter iecit, quæ nihilominus in magnâ profectò messem, alijs atq; alijs colonis eadè subit de arua subigētibus, postmodum excreuerūt. Multò minus Innocentius tollet Simonis Apostoli Africanam atque Britannicam expeditionem: quia neque ante Petrum Africam adiit Simon, neque in Britannia Ecclesiam vllam fundasse, siuè firmis radicibus Euangeliũ in ijs regionibus fixisse legitur. Thomas verò, aut Germaniam quidem peragrauit, & solummodo, vti Hieronymus, & Sophronius ascribunt Euangelium docuit, aut si etiam illius Prouinciæ Ecclesias fundauit, atque erexit d non fecit ante Petrum, siuè à Petro illuc ablegatos: quandoquidem, vti Baronius ipse ex recepta Germanarum Ciuitatum traditione, & Romani Martyrologij auctoritate commemorat, biam

a lib. descrip
Eul.

b A. 8

Petrus

Decemb. &
29. Decēb.

c Paul. Dia.
Chron. de
Epif. Meisf.

Petrus miserat ad Illas regiones Apostolicos viros Eucharium, Aegistum Crescentem, & Marcianum. Denique licet Barnabas Ecclesiam Mediolanensem erexisse scribatur, ipsum tamen vel à Petro Mediolanum missum verisimile est, vel ante eum iam Marcus Petri discipulus in Insubriam, Hermagoras Aquileiam, Anathalon, siue Anatholius Mediolanum, & Syrus Ticinum, & Christianam Religionem inuexerant. Ante eum inquam: nam Barnabas, vt euincit Baronius, nono, aut decimo anno Claudij in Italiam venit; Marcus verò anno primo Claudij vnà cum Petro Romam accessit, & anno secundo ex Vrbe petens Alexandriam, Italiæ Ciuitates aliquot peragrasse censendus est, septennio videlicet ante Barnabam.

32 Tertius denique respondendi Modus, & omnium meo quidem iudicio, solidissimus, atque verissimus erit, si Innocentij verba simpliciter, & absque ambagibus vllis intelligamus; Videlicet neminem profus vlla ratione docuisse, aut instituisse Ecclesias nisi illos quos Beatissimus Petrus, aut eius Successores constituerunt, vt id munus obirent. Hæc Responsio est Archidiaconi, Turrecremata, Hugonis antiqui Canonum Interpretis ab Archidiacono laudati; Ioannis item auctoris Glossæ in Gratianum, Præpositi Mediolanensis, & aliorum Doctorum in dictum cap. Quis nesciat. dist. 11. Atque Nicolai Lyrani in cap. 16. Epistolæ ad Romanos propè finem; Et quorundam etiam huius ætatis Scriptorum. Itaque miror tot eruditos Viros qui de hoc Iacobi accessu aduersus Baronium fusè scripserūt, hanc veram, & germanam verborum Innocentij explicationem præterijisse, alijs quibusdam interim adductis, quæ eruditi, & prudentis Lectoris animum fortassis non implent. Vt autem horum sententia intelligatur simul, & probetur, supponendum est ex doctrina S. S. Patrum, quos disertè, & eruditè allegat Turrecremata li. 2. de Ecclesia cap. 32. 33 & 34. & post cum Salmeron tomò suorum Operum 12. Tract. 63. longè probabiliorem esse illorum opinionem qui asserunt Apostolos, tametsi potestatem Ordinis omnes acceperint immediatè à Christo Domino, potestatem tamen Iurisdictionis non immediatè, sed mediante Petro accepisse. Afferunt ad id probandum Turrecremata, & post eum alij, multorum Patrum grauisima dicta, sed mihi, ne sim æquo longior, satis erunt hæc pauca, quæ selegimus. Anacletus Epist. 3. & dist. 21. cap. In nouo perspicuè asserit, *A Petro post Christum in nouo testamento sacerdotalem ordinem cepisse, & ipsum Apostolos reliquos habuisse pro Principe*, Innocentius, Epist. ad Concilium Carthaginense: *Ad nostrum, inquit, approbastis referendum esse iudicium scientes quid Apostolica Sedi debeat, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas huius nominis emerfit.* Idem Epist. ad Victricium: *Incipiamus ergo adiuuante Deo, & Sancto eius Apostolo Petro*

per quem

per quem, & Episcopatus, & Apostolatus cepit exordium. Leo Magnus Epist. ad Anastasium Tarsensem Episcopum: Inter Beatissimos Apostolos in pari honoris consortio fuit quadam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt emineret. Idem serm. 3. In Anniuersario suæ electionis: Si quid cum Petro Deus voluit commune cæteris esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit quicquid alijs non negauit. Ex his igitur habetur Episcopatum, & Apostolatam omnem à Petro tanquam à capite, tanquam à Pastore non solum Agnorum, id est, inferiorum hominum, sed etiam Ouium, id est, Episcoporum omnium, atque ipsorum etiam Apostolorum, dependere: ipsique Petro noui testamenti Iosepho, fratres suos fuisse subiectos, quoad Iurisdictionem, & Ecclesiæ gubernationem. Hinc Paulus Petro par dicitur à Patribus, merito, gloria, passione, non clauibus. Hinc Iacobum Alphæi filium Coapostolum suum Petrus consecrat, ordinatq; Episcopum Ierosolymorum. Hinc Pauli Euangelium, & prædicationem Petrus probat, & confirmat alioquin nisi ipse probasset. Ecclesia illi omnino non crederet, vt disertè dixit Augustinus lib. 28. contra Faustum cap. 4. His freti doctrinæ firmamentis, atque exemplis, non dubitarunt posteri, & recentiores doctores multò clariùs de hac re atque explicatiùs loqui: Potestas, argumentatur Durandus, d qua tota data est vni in suo fonte non est in alijs nisi deriuata, & limitata pro voluntate illius: sed potestas Iurisdictionis qua est ad regendum populum tota, & in suo fonte data est Beatissimo Petro, & eius successoribus, quando cura Ecclesiæ ipsi soli commissa est post Resurrectionem Christi dicentis ad eum. Pasce oues meas: hoc enim nulli Apostolorum dictum est, nec tunc, nec antè, nec postè; ergo totam potestatem, & plenam solus habet Petrus eiusque Successores, nec est in alijs, nisi deriuata & limitata secundum placitum Papa. Eadem ferè habet Richardus de Mediauilla laudatus à Præposito in suo Tractatu de potestate Ecclesiæ dist. 15. Ipse verò præpositus ex ista generali doctrina de Prælatione Petri supra cæteros Apostolos, ad Iacobum, & Paulum de quibus disputamus deueniens, apertissimè docet, e hos & alios Apostolos per B. Petrum accepisse etiam prædicandi facultatem, & ab eo; in suam quemque prouinciam ad disseminandum Christi Euangelium fuisse missos. idque firmat grauissimis argumentis petri de Palude, & Card. Turrecrem. qui eandem tutati sunt sententiam. Quod ipsum breuius at te eum dixerat Glossa Decreti, in Hispaniam scilicet, aliasuè Occidentis regiones neminem nisi Apostolum Petrum, vel alium ab eo missum Ecclesiam vllam instituisse, aut docuisse. Ad stipulatur disertis verbis huic opinioni etiam Archidiaconus, nullus, inquiens, nisi Petrus, vel ab eo missus, in Occidente docuit Christi fidem. Et Paulo Petrus dedit auctoritatem prædicandi. Vnde ipse dixit de Petro: Dedit mihi dexteram: & ita fuit institutus à Petro, & auctoritatem, & confirmationem dicendorum accepit à

d. 4. dist. 24.
q. 5. nu. 5.

c. in cap. 12.
Do. dist. 19.

f. in dist. c.
Quis uescia

g To 1. Ap.
pend. 1. ad
lib. 2.
Bellarm. col.
48. & col.
1289.

Petro, ut in Actibus Apostolorum habetur. Denique acerrimus ille Bellarmini Propugnator, ex placito aliorum Theologorum disertè notat, *g datam à Christo fuisse reliquis Apostolis summam potestatem, & uniuersalem toto terrarum Orbe prædicandi facultatem. sed dependenter à Petro.* Et alibi scripserat. *Quidquid à Diuo Paulo alijsq; Apostolis actum est, id auspicijs Summi Pastoris Petri actum esse: sub hoc enim Pastore pauperunt Christi ouiculas Alij omnes Apostoli, & Pastores.* Et tom. 2. fol. 507. optimè concludit, *Nec S. Iacobum in Hispanias, nec S. Paulum Romam & in alias Orbis partes concessisse nisi ductu, & auspicijs Petri, tanquam Summi Pastoris, & Ecclesiastici Gubernatoris: & hoc respectu Innocentium scripsisse id quod scripsit.* Itaque quod Iacobus Apostolus in Hispania Iudæis, & Gentibus, uti supra probatum est, & infra latius probabitur, Euangelium prædicauerit; quod Bracarensi Ecclesiæ, ut tradunt, Petrum Ratiatensem, primum Episcopum dederit; quod ex eius discipulis septem postmodum ex Vrbe in Hispaniam directi fuerint, qui fata ab Iacobo femina verbi percolerent, hæc omnia Auctore Petro facta fuisse, censendum est. Innocentius verò quod de Occidentis Ecclesijs dixit id ipsum pariter dicere poterat de Ecclesijs Orientis, sed quia ad Episcopum Eugubij, hoc est, Urbis in Occidente sitæ, respondebat, ideò satis illi fuit de Occidentis Regionibus pronuntiasse.

33. Tam igitur, sic declarato Innocentij dicto, facile nunc erit alias paulò ditersas difficultates, quæ ex Ambrosij, & Hieronymi verbis emergent, tollere. Et de Ambrosio quidem explicando, non est cur nos laborem aliquem infumamus; Ipse se explicat, docens Paulum eo loco non de Apostolis, sed de Pseudoapostolis loqui, de quorum malis artibus non semel aliàs in Epistolis suis conquestus est. Exponit igitur Ambrosius hoc modo locum illum; *Paulum scilicet non prædicasse ijs quibus per Pseudo Apostolos nominatus fuisset Christus, quia illi sub nomine Christi, populos sibi mancipabant, quod postea corrigere maximi erat laboris.* Et ad finem Commentarij subdit: *Pseudoapostolis difficile fuit iter ad Hispanos usq;. Quocirca Romanos, qui iam in legem inducti fuerant, interim per Epistolam corrigi. Ad Hispaniam verò sit arduus iret, nihil fore molestum.* Verba igitur illa Pauli, & Ambrosij, *Quia illic (in Hispania videlicet) Christus non erat prædicatus,* quæ in nos Aduersarij intorquere voluerunt, nihil prorsus officiant, sed nostræ potius sententiæ mirificè fauent. Potuit quippè Paulus in Hispania post Iacobum prædicare, quia ibi non Pseudo-apostolus aliquis, sed Iacobus Zebedæi fidissimus Christi Apostolus prædicauerat. Vide Lector quam elumbe euaserit argumentum, quod in speciem adeò validum videbatur.

34. Hieronymus verò cum dixit, *Paulum fuisse vocatū à Domino, ut prædi-*

caret

caret Euangelium de Ierosolymis, vsq; ad Illyricum & adificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat predicatum, sed vsque ad Hispaniam tenderet, &c. Si iuxta ipsius B. Hieronymi mentem alibi apertè prolatam intelligatur, nihil minus habet, quàm quod Aduersarij volunt. In primis non potest Hieronymus intelligi, vt velit hoc loco affirmare, Paulum idcirco prædicasse in Hispania, quia ibi à nullo alio fuerat prædicatum Euangelium: nam eadem ratione negasset (quod tamen cùm verissimum sit, negare non poterat) in illis quoque regionibus, quas ab Ierusalem vsque ad Illyricum, & ab Oceano vsque ad Oceanum prædicando peragravit, fuisse ab aliquo alio, saltem alicubi, prædicatum. Hoc tamè, vtpotè verissimum, neque Paulus, vt dixi, neque Hieronymus negare poterant. Constat enim ex ipsis sacris literis, non solum antequam Paulus prædicaret, sed etiam antequam ad Christum conuerteretur, tum à philippo in Samaria, & in via Gazensi, tum à Petro, & Ioanne in multis Samaritanorum locis fuisse Christum annunciatum.

35 Præterea Hieronymus ipse in Commentario suo super Epistolam ad Romanos, clarè ostendit, quomodo dicta Apostoli verba intellexerit: ac proinde non egemus alio qui B. Hieronymum nobis explicet præter ipsummet Hieronymum, qui sanè videtur egregiè collineasse ad Pauli scopum, & mentem. Ait quippè per stare Apostolum in confirmanda sua sententia quam paulò ante asseruerat, se scilicet esse Apostolum Gentium ab eo maxime tempore, quo vnà cum Barnaba diuinitus destinatus fuerat, & missus ad prædicandum Gentibus: quæ videlicet, neque legem, neque Prophetas, neque fundamentum vllum fidei olim habuerant: & adducere Paulum Hiaïæ locū, h qui apertè de Gentibus est, *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Igitur iuxta hanc B. Hieronymi explicationem, illa Pauli verba non sunt intelligenda de Iacobi, aut alius cuiusquam Apostoli prædicatione, sed de prædicatione veterum Prophetarum, quam cum ad Iudæos non autem ad Gentes de Christo factam fuisse sciret, ideò, Gentibus ipse Gentium Apostolus prædicans, verissimè dixit, *Nequaquam se super alterius fundamentum adificasse.* Amplectuntur eximiam hanc Paulini loci expositionem à B. Hieronymo allatam doctissimi viri Arias Montanus, & post eum Salmeron, atque alij nonnulli. Et mihi certè videtur germanissima, quia ex ipso contextu elicitur; quicquid interim recentiores quidam aliorum abeuntes, dicant.

h. Isai. 25.

36 Verùm quia erit fortassè quispiam, qui tametsi ex ijs quæ diximus, iam certus sit de Ambrosij, atque Hieronymi mente; eos scilicet non adduxisse verba illa Pauli, vt quempiam ex Apostolis in Hispania, ante Paulum prædicasse negarent, nolit tamen stare horum patrum expositi-

onibus, contendatque ex ijs ipsis Apostoli verbis aliqua ratione colligere, neque Iacobum, neque vllum alium Apostolum, Hispanis Christum annuntiasse, ecce profero alias quasdam eiusdem loci expositiones vt prudens Lector quam sibi maximè placuerit eligat, & manifestè percipiat, ea Pauli verba casto prorsus labore aduersus Iacobi ad Hispanos accessum adduci.

37 Est igitur tertia expositio Hugonis Carenfis eruditissimi Cardinalis, ijs verbis haberi, Paulum vt plurimum illis prædicasse, quibus nondū fuerat annuntiatum Euangelium Christi: itaque Apostolum non prorsus negare, se aliquandò illis etiam prædicasse, quibus iam Euangelium fuisset illatum, sed vt plurimum, ἐπὶ τὸ πλεῖστον, se super alienum fundamentum non ædificasse. Huic Hugonianæ expositioni fauet, tum vulgaris Sacræ Scripturæ phrasis, imò omnium hominum loquendi vsitatissimus modus, qui, quod perrarò euenit, appellant impossibile, & è contrà, quod vt plurimum fit, id simpliciter, semper fieri pronunciant: tum etiam Græcus Apostoli textus, qui habet, φιλοτιμώμενος εὐαγγελίζεσθαι idest, *conatus sum prædicare*: quasi dicat, quantum in me fuit, in illud potissimum incubui, vt ijs prædicarem Euangelium, quibus nondum prædicatum fuisset. Eiusmodi autem loquendi modus non prorsus excludit, quin aliquando, perrarò licet, in tanto totius penè Orbis circuitu, etiam aliquibus prædicauerit, quibus iam alij Christum annuntiasent: quos inter, nihil prohibet Hispanos adnumerare, præsertim, cum Iacobi prædicatio ad eò paucos conuertisse dicatur, vt vix nouem, vel, summùm duodecim numerentur.

38 Denique (vt quartam, & postremam afferamus expositionem) esto ijs verbis Apostolus omnem prorsus præcedentem prædicationem excludat: Esto, neget se ijs prædicasse vnquam, qui Christi notitiam habuissent, potuit idem nihilominus in latissima illa Hispaniarum Regione, quæ Appiano teste, *tam latitudine quàm longitudine sua decem millia stadiorum explet*, alicubi ædificare, vbi nullum Iacobi aliusuè prædicatione, fundamentum fidei iactum fuisset: quemadmodum in alijs Prouincijs Arabia, Phœnicia, Syria, Cypro, Pamphylia, Phrydia, Lycaonia, Cilicia, Phrygia, Galatia, Mesia, Achaia, Macedonia, Bythinia, Thracia, atque Epiro, quas è Palæstina ad Illyricum tendens, peragrauerat, repperit quidè alios Apostolos, & Petrum maximè, atque Andream, iam antea prædicasse, nihilominus verè potuit scribere, *se super alienum fundamentum non ædificasse*. Hæc de loco Apostoli. Mihi verò prima, & secunda expositio maximè placent.

QUARTVM ARGVMENTVM.

39 **I**N Cōcilio Lateranēsi, Innoc. III. Summo Pontifice, Rodericus Episcopus Toletanus, orta lite de Primatu Hispaniarū, quē Episcopus Cōpostellanus, ob prædicationē Beati Iacobi Apostoli in Gallæcia, sibi de beri contendebat, respondit, *Nunquam Iacobum adisse Hispaniam; quamvis vidua quadam, sanctaque Moniales id sibi aliquandō dixerint.* Episcopo verò Toletano liberrimè neganti, nequaquam obstitit Cōpostellanus: neque rem tantam, & quæ tanti ipsum intererat, argumento, aut monumento aliquo firmare studuit. Hæc omnia constant manifestè ex Notis, quæ ad Decretum Gundemari Garzias Loaysa nuper edidit, & Binius Colonien- sis inter sacra Concilia à se vndique collecta collocavit. Quisnam igitur exterorum B. Iacobi ad Hispanos accessum deinceps credat, cum Hispani ipsi Amplissimi Præsules, Toletanus, & Cōpostellanus, ille negando, hic silendo, rei vulgò iactatæ, fidem nequaquam adhibuisse videantur?

RESPONSIO.

40 **H**oc certè Argumentum alicuius ellet momenti, si scriptum illud à Loaysa editum, cui totum innititur, aliquam haberet firmitatem. Sed profectò ex se ipso debile est, & nullo impellente ruit. Primùm, docti quidam, & prudentes Viri, qui illud à Loaysa, paulò post Episcopo Toletano, & Sedi illi impensius fauente, prolatum, accuratè legerunt, ingenuè dicunt, multas assutas continere fabellas: & nonnulla profectò futuræ apparent indicia non obscura. Nam tota ea altercatio inter Toletanum, & cōpostellanum Episcopos non habetur alicubi inter Acta longissimi alioqui illius, & magni Concilij: & scimus tamen eiusmodi Primarum Sedium lites, inter Acta Conciliorum solere reponi. Sic factum in concilijs Nicæno, Constantinopolitano, & Chalcedonensi, in quibus decretum est, quisnam Patriarchalium Sedium Orientis iuxta cuiusque dignitatem gradus esse deberet, & ordo. accedit, apud omnes Scriptores, indigenas, exteros, de scripto hoc, quod Ecclesiæ Toletanæ Tabularium nuper protulit, magnum ubique silentium. Ea verò quæ aduersus Iacobi ad Hispanos accessum continet, adedò leuia Loaysæ ipsi visa sunt, vt liberè, atque vt Virum decebat nobilem, & eruditum, aduersus illorum fidem in margine libri notauerit, B. Iacobum in Hispaniam venisse, ibique Christi Euangelium prædicasse. Et id quidem prudenter Loaysa. Vidit enim narrationem illam multa habere *ἀποδείματα* multa item *ἀδύατα* Examinemus parumper. Ait Scriptor ille Anonymus eam Episcoporum altercationem contigisse in Concilio Lateranensi anno 18. Innocentij III. atqui illud Concilium habitum est anno 3. non autem 18. Innocentij. Neque anno Christi 1200. vt ibi legitur, sed 1215. Nec Rodericus qui ibidem appellatur Episcopus Toletanus, erat tunc tem-

poris Episcopus, imò neque ante, neque post decem totos annos post Concilium fuit Episcopus Toletanus. Addit erratum erratis, aduenisse scilicet Rodericum Romam eo anno quo capta est Corduba: at ea Vrbs omnium consensu capta est à Mauris anno 1235. hoc est, 20. annis post Concilium habitum. Alia minora prætereo iam à non-nemine obseruata. Ego autem sicut per hæc, præclaro primatui nobilissimæ Ecclesiæ Toletanæ, eiusque rationibus neutiquam derogatum, volo (alia quippè habet solidiora, reor quibus nitatur, fulcra) ita informe istiusmodi scriptum, quod paucis pagellis non paucos neque paruos habet errores, admittere, aut excusare non potui, non debui: quia Toletanæ Sedis primatum, qui leuiculis hisce non indiget, dum videtur adstruere, Iacobi interim accessum, hoc est, totius Hispaniæ magnum, & inuidendum decus, videri potest, (si tanti esset) aliquo modo destruire.

41. Adde his, si animum Lector aduertat, in eo ipso, qualequale est, scripto, non prorsus tacuisse Compostellanum, quod pro Iacobi prædicatione, aduersus Toletanum negantem poterat proferre. Obseruo enim ad finem illius scriptionis, hæc haberi. *Dominus autem Compostellanus respondit, quod licet Toletanus esset Hispaniarum Primas (quod falsissimum erat) non tamen eius suffraganei deberent ei in aliqua re obedire. Qua responsione multi crediderunt Compostellanum contestatū esse litem.* Hæc ibi. In litis autē contestatione, quis nesciat includi ea omnia, quæ pro contestantis faciunt iure? His itaq; verbis, videtur significari, Compostellanū, post eiusmodi contestationem in publico Concilio factā, protulisse, cum opus fuit, & de scripto fortassis, ne altercationibus, & iurgijs rem committeret, quidquid pro Iacobi ad Hispanias accessu facere visum est. Quod si dicas, Cur nihil eiusmodi, ex ijs quæ Compostellanum pro sua causa produxisse opinaris, in eo scripto reperitur? facile occurro, & oggero Effatum illud Augustorum Cæsarum: *i Nimis graue est, vrgeri partem aduersam ad exhibitionem eorum, per qua sibi negotium fiat.* A Tabulario igitur Toletano ea quæ pro Compostellano faciunt, petere graue quidem, & iniustum, & intolerabile est.

Sed iam rei ordo postulat, vt disiectis, nisi fallimur, & profligatis aduersæ sententiæ Argumentis, nos deinceps ea quæ accessum B. Iacobi ad Hispanias adstruunt, in aciem producamus.

Ea sunt, Traditio, Concilia,
Patres.

*i Nimis gra-
uē. Cod. de
Testib.*

TRADITIO.

4^o **O**MNIVM propemodum Hispaniæ Ecclesiarum, non à centesimo, aut ducesimo ab hinc anno, sed à primæuo Euangelij sæculo, publica famæ celebritate, eximia omnium tam vastæ regionis populorum erga B. Iacobum deuotione, à parentibus ad filios posterisque continenter deriuata notitia. Eiusmodi autem Vniuersalem Hispaniæ Traditionem, consignatam cernimus publicis, & vetustis Ecclesiarum monumentis, Breuiarijs videlicet Sacrarum Precum, Mazara-bum Isidoriano, Fratrum Prædicatorum Dominicano; insignium præterea Vrbiū videlicet Saguntino, Cauriensi, Ciuitatensi, Palentino, Tudensi, Salmaticensi, Pompelonensi, Valentino, Pacensi, Dertusano, Burgēsi, Hispalensi, Bracarensi, Asturicensi, Scgobiensi, Compostellano, & Cæsaraugustano, quod quidem postremum, inter ceteros iam dictos Codices sacros, magnam sibi vendicat auctoritatem, tum quia vetustissimum est tum etiam, quia à Clemente VIII. fuit approbatum, & illius Ecclesiæ vsui traditum. His Italica duo adiungere libet, Mediolanense scilicet Ambrosiani ritus, & Carmelitanum Venetijs impressum. Ea omnia Breuiaria, quamquam in alijs diuersa, in accessu tamen B. Iacobi ad Hispaniam asserendo amicè consentiunt, & conspirant. Adde his Martyrologium quoddam satis antiquum à Molano editum, vnà cum suis ad Vsuarium Notis, quod 30. Decembris sic habet. *Compostelle in Gallacia Aduentus Corporis Sancti Iacobi Apostoli, qui quod viua voce non potuit, cadauere trunco, Christianam pietatem Gentibus Hispanorum ingessit. Quæ verba si benè considerentur non parum huic sententiæ suffragantur. Alioquin cur dictum esset. Quod viua voce non potuit? & Iacobus quidem paucissimos in Hispania ad Christi legem traduxisse legitur. Id Itaque ea verba significant: Vulgari scilicet phrasi, qua quidpiam rarerer factum non factum dicimus. Habes igitur, Lector, non leuem, aut nuperam rei huius traditionem, sed firmam oppidò, & vetustam, atque imis mortalium visceribus, & grauissimis literarum monumentis insculptam. Quocirca sapienter asserit præstantissimus ille, nostræ ætatis Theologus Franciscus Suarez, k *Aduersus a-**

k To. 1. de relig.

deo vetustam, & constantem, atque vniuersalem Hispaniarum traditionem nullo modo posse Aduersarios aliquid opponere, quod vel prabilem rationem dubitandi faciat. Et meritò id dictum Quippè cum de re antiqua dubitatio est, appositè illud Beati Hieronymi in medium afferetur: Ego, illud te breuiter admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas præsertim quæ fidei non officiant, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt. Et Hieronymus quidem his verbis ad Lucinium Bæticum scriptus non de Catholica fidei capitibus, sed de Ritibus Ecclesiasticis, cultuque sacro verba facit, quæ & ad id de quo agimus, spectare procul dubio videntur. Nam hic quoque de sacro titulo

& cultu

& cultu res est, ab Hispanis B. Iacobo Apostolo, eo nomine haecenus exhibitio, quod apud eos fidei Christianæ fuerit sator, & conditor. Cur autem & Titulum, & cultum, hoc nomine celeberrimum, qui fidei Christianæ non officit, imò non parum prodest, ob paucas aliquot coniecturas, vel argumenta malè fulta, infirmes, aut tollas? Fidenter igitur innitatur Hispania sancto ad eò cultui, & vetustæ traditioni, nunc maximè, cùm Breuiarium Romanum nuperrimè recognitum, Beati Iacobi ad eas Regiones accessum, Traditionem esse Hispaniarum, grauissimis verbis affirmat. Magna siquidem est vis Traditionis antiquæ, quæ, & si alioqui (vt in rebus vetustis accidit) gestorum series, modusque non admodum verosimilis videatur, auctoritate tamen sua, assensum obtinet, & vi quadam occulta, fidem propemodum extorquere videtur, per Os illud aureum, & robustè in clamans; *Traditio est: nihil amplius queras.*

1 Chr. Hom
4. in Epist. 2
ad Theff.

42 Accedit pondus ponderi, & Traditionem Hispaniensem, magis, magisque firmat Armenica in Oriente traditio. Nam etiam ipsa Armenia, licet remota admodum ab Hispania sit, seruat tamen, vbicunq; nunc inter Turcas, Christianos habet (& plurimos sanè habet) B. Iacobum abiisse quondam ad Hispanos, & ad eò firmè retinet, vt in voto peregrinationis ad Compostellanam S. Iacobi Ecclesiam, difficillimè inter Armenos dispensetur, eò quod credant, reuertentem Apostolum ab Hispania ad Palæstinam, transiisse per Armeniam, ibique Euangelium disseminasse. Interrogentur qui ex ea natione Presbyteri, aut Episcopi, negotij, siuè Religionis causa Romam accedunt, ij, quod asserimus, & quod certo, ac graui testimonio accepimus, fatebuntur apertè.

43 Ad veterem quoque & sacram Traditionem referre Hispani solent Sacellum illud apud Cæsaraugustam ab ipso Iacobo Apostolo, vt fertur, extructum, multisque postea miraculis nobilitatum, quod ibidem Beatissima Virgo Deipara Iacobo eam Regionem obeunti super columnam apparuisse perhibeatur; vt Hispaniensium rerum narrat historia. Beuterus in Chronico cap. 23. Vasæus, Velascius, Nonius, & alij multi recentiores. Ego breuis hic sum, eò quod rem tantam, Cæsaraugustanum quemdam Canonicum longiore Commentario fusè diligenterque descripsisse perceperim. Illum igitur aditote Lectores, Transeo ad

C O N C I L I A.

INter quæ vnicum habeo, quod Iacobi ad Hispanos accessum affirmet; sed id profectò grauissimum est atque inter antiquissima Hispaniæ Concilia meritò connumerandum, vt potè celebratum in primaria Lusitanæ Vrbe, Bracari anno post Christum natum circiter quatricentesimo, sedente Episcopo Pancratiano. Authenticum prototypon extat in Cœnobio Eburobriano apud Religiosos Cisterciensis Ordinis.

Inuen-

Inuentum in carioso & venerando manuscripto Codice, editu-
que nuper est publico bono à pio, & disertto viro Bernardo de Brito, to-
mo 2. Monarchiæ Lusitanæ. Habet itaque iam dictum Concilium B. Ia-
cobum ad salutem Hispanorum misisse B. Petrum Ratistensem, siue Ra-
tiastem, discipulum suum, qui primus Episcopus Ecclesiæ Bracaren-
sis fuit. Porro totum ipsum Concilium hoc loco exscribere libet, breue e-
nim est, & sinceram antiquitatem illam integrè repræsentat. Lege, qui-
quis es, nihil hîc spurium, aut fucatum, omnia pura, & vera comperies.

PRIMUM CONCILIVM BRACARENSE SVB
Pancratiano Episcopo prima Sedis.

CAPVT I.

CONVENIENTIBVS Episcopis, Elipandus Colimbricensis, Pamerius
Egitanensis, Arisbertus Portugallensis, Deus dedit Lucensis, Gelasius Emeri-
tensis, Pontanius Eminiensis, Tiburtius Lamecensis, Agathius Triensis, Pe-
trus Numantinus, in Fano Sanctæ Mariæ Bracaren-
sis, Dominus Pancratianus Episcopus prima Sedis dixit: Notum vobis est, Fratres: & socij mei, quomodo Barbara
Gentes deuastant vniuersam Hispaniam, Tempa euertunt, seruos Dei occidunt in
ore gladij, & memorias sanctorum, ossa, sepulchra, cæmeteria profanant, vires Im-
perij confringunt, modo commouentes omnia, sicut stipulam ante faciem venti.
Præter Celtiberiam, & Carpetaniam, iam reliqua omnia versus Pirenem sub sua
iacent potestate. Et quia malū hoc iamā est supra capita nostra, volui vos aduoca-
re, vt vnusquisque sua prouideat, & omnes simul commnem Ecclesiæ calamita-
tem. Prouideamus socij remedium Animarum, ne multitudo laborum, & afflictionū
compellat eas abire in Concilium impiorum, stare in via peccatorum, & sedere in
Cathedra pestilentia, & apostatate à vera fide. Et ad hoc exempla constantia no-
stra ponamus ob oculos subditorum, patiendo pro Christo aliquid ex multis tormen-
tis, quæ ipse pertulit pro nobis. Quia verò nonnulli Alanorum, Sueuorum, Vāda-
lorumque sunt Idololatra; alij verò Arrianam heresim profitentur, visum est mihi
vobis approbantibus ad maiorem fidei firmitudinem contra similes errores senti-
entiam proferre. Quid vobis videtur? Omnes Iustum, piū, sanctū expediensque
negotium.

CAPVT II.

47 PANCRATIANVS. Credo in vnum Verbum, genitum ab ipso Patre
ante tempora: Deum ex Deo vero, ex eadem substantia Patris, sine quo factum
est nihil, & per quem omnia creata sunt. Omnes Episcopi. Similiter, & nos credi-
mus. Pancrat. Credo in Spiritum Sanctum, procedentem à Patre, & verbo, vni-
cum in Deitate cum ipsis, qui per ora Prophetarum loquutus est, supra Apostolos
sedis, Mariā Christi Matrem repleuit, omnes Episcopi. Similis est, & nos credimus.

4
 Pancrat. Credo, quod in hac Trinitate non sit maius, aut minus prius, aut posterius sed in tribus distinctis personis sit vna aequalitas, vna Deitas, vna Diuinitas: Omnes Episcopi. Similiter, & nos credimus. Pancrat. Dāno, & excomunico, reprobō, anathematizō omnes contrariū sentientes, tenentes, & pradis antes. Omnes Episcopi: Similiter nos damnamus. Pancrat. Credo, quod dñi Gentiū sint demonia, os habēt & nō loquentur, oculos, & non videbunt: aures, & non audient, neq; sit spiritus in ore ipsorum. Omnes. Similiter, & nos credimus. Pancrat. Credo, quod Deus noster trinus in personis, vnus in essentia fecit ex nihilo omnia, & Adamum Patre nostrum creauit ex terra, Euam de eius latere: Destruxit mundū per aquas; dedit Moysi legem, & nouissimis temporibus visitauit nos per Filium suum, qui factus est e. & semine Dauid secundum carnem. Omnes. Similiter, & nos credimus: Pancrat. damnō, reprobō, execror, & anathematizō omnes contraria tenentes, sentientes, & pradicantes. Omnes. Similiter, & nos damnamus.

CAPVT III.

48 PANC RAT. Nunc autem si placet omnibus vobis statuatur quid agentum sit de Reliquijs Sanctorum, præcipuē de Patre nostro, & Apostolo huius Regionis Petro Ratiastensi, quem ad saluandas Animas Iacobus Domini consanguineus dimisit: Surrexit Elipandus Colimbricensis, & ait: Non poterimus omnes vno modo id facere: sed si vobis placuerit, vnusquisq; pro temporis opportunitate id faciat. Barbari sunt intra nos, & Vlixbonam premunt, Emeritam habent. Asturicam similiter: propediem euenturi supra nos. Proficiscatur vnusquisque in locum suum, & confortet fideles corporaque Sanctorum honestē abscondat: & de locis, & speluncis vbi postea fuerint, Relatorium vobis mittat: ne per cursum temporis in obliuionem veniant. Omnes. Iustum, bonum, & congruens consilium nobis videtur, pro temporis necessitate. Pancratianus. Similiter mihi sicut, & vobis videtur. Abite in pace. Omnes. Solus remaneat frater noster Pontanius, propter destructionem sua Ecclesie Emeniensis, quam barbari vexant.

CAPVT IV.

49 PONTAMIVS dixit. Abeam, & ego vt confortem oues meas, & simul cum eis pro Christi nomine patiar labores, & anxietates, non enim suscepi munus Episcopi in prosperitate, sed in labore. Pancratianus Optimum verbum, iustum consilium, profectum approbo Deus te conseruet. Omnes Seruet te Deus in bono consilio quod nos similiter approbamus. Omnes simul. Abeamus in pace Iesu Christi.

Pancratianus in Dei nomine Episcopus Bracarenensis.

Gelasius in Dei nomine Emeritensis.

Elipandus in Dei nomine Episcopus Colimbricensis.

Pomerius Episcopus Egitanensis.

Arisbertus Episcopus Portugalensis.

Deus dedit in Dei nomine Episcopus Lucensis.

Pontanius Episcopus Eminiensis.

Tiburtius Episcopus Lamecensis.

Agathius Episcopus Iriensis.

Petrus in Deo nomine Episcopus Numantinus.

50 Obserua, sincere Lector, quod licet ex hoc Concilio nihil aliud haberi posse videatur, nisi B. Petrum Ratiastensem à Sanctissimo Iacobo Apostolo fuisse Bracaras directum ad prædicandum, eumque à Pancratiano vocari Patrem, & Apostolum Regionis Bracarenfis, ne tamen possis suspicari, Iacobum ipsum non adijisse Hispanias, sed ex Iudæa eò Petrum misisse, occurrit liber de omnimoda Historia C. V. Dexteri, qui, teste B. Hieronymo lib. de script. Eccles. fuit filius Paciani, & Præfectus prætorio. Is disertè tradit anno Christi 42. Iacobum iuisse ad Hispaniam & Petrum hunc de quo Concilium loquitur, Bracaris reliquisse primum Episcopum. Ponam eius verba paulò inferiùs in Classe Patrum antiquorum. Quamquam si verba Concilij perpendantur, etiam sine Dexteri testimonio, inde colligi poterit Iacobum in Hispania extitisse; quando Petrum Bracaras prædicatum misit. Cùm enim dicat Concilium, B. Petrum fuisse Ratiastensem, hoc est è Ratiasto Vrbe Aquitanæ, quæ ab occasu Hispaniæ est contermina, sequitur utique hunc non è Palæstina ad Hispanos (quis enim prober hominem Hispanum, siuè Aquitanum, & Gentilem, in Iudæa tum *existisse*?) sed ex Hispania ipsa Bracaras amandatum fuisse. Res clara est. Progrediamur ad veteres Patres, & ex his demum ad Historicos, ut exagitatam veritatem stipemus omni genere testium, & ex omni propemodum natione.

P A T R E S.

51 **P**rimus esto Abdias Propheta, qui ad finem sui vaticinij, Apostolorum in Germaniam, Galliam, Hispaniam accessum, harumque Prouinciarum ab impietate ad cultum veri Dei traditionem paucis complexus est. Enim verò Magnarum rerum futuros euentus Prophetam aliquem longè ante Mundo prænucciasse par erat: Porrò suum vaticinium Abdias his verbis exposuit: *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israël omnia loca Chananaeorum vsq; ad Sareptam, & transmigratio Ierusalem, qua in Bosphoro est, possidebit Ciuitates Austri*, Ij, qui in Prophetas commentarios ediderunt, multa huc attulerunt, ut locum hunc germano sensu exponerent, atque in varias abièrè sententias. Ego ex ijs ea decerpam, quæ ad rem nostram potissimùm faciant, & quam potero maximè, verba ad compendium cõferam. Iuxtà R. Ionathan, Paraphrasten Caldæum, R. Salomonem, R. Dauid Kimhi aliosque Hebræos, quos citant, & sequuntur Lyranus, Burgenfis, Pagninus, Vatablus, Clarius, Mōtanus, Robertus

Figueyrus, & Castrus in Abdiam, Sauleyus in Annalibus Aurelianusensiū, Goropius lib. 2. Hispanicorum, Feu Ardentius in Irenæum, & Guido Fabricius Boderianus in doctissima illa sua Præfatione ad Nouum Testamentum Tri-linguè a se editum, iam dicti loci sensus est: Filij Israël, Apostoli scilicet, eorumque discipuli, qui Iudæis, Aethnicisque persequentibus dispersi erunt per varias orbis partes, vi Christiani Euangelij occupabunt omnia loca, in quibus morabantur Chananæi, olim è Iudæa eiecti, tam Illyrici, quàm Africæ, & Germaniæ, vsque ad Galliam, vocabulo Sareptæ significatam. Illud autem, quod Propheta subdit, sic exponunt, vt nobis mirificè faueat. *Et transmigratio Ierusalem, que in Bosphoro est, possidebit Ciuitates Austri.* Quæ verba omnes ij, quos modò ciuitauimus accipiunt de Apostolis Hispanias adeuntibus: quamquam Ciuitates Austri ab ijs possidendas variè interpretantur. Lege præcipuè Montanum, Boderianum, Castrum. At nobis omnium appositissima videtur explicatio eruditi, & Religiosi admodum viri Francisci Ribera, qui licet in Longiore suo Commentario in Abdiam eiusmodi communem expositionem acerrimè expugnare contenderit, & (quod valdè miror) tantum Hispaniensis Christianitatis argumentum, de manibus animisque Hispanorum, extorquere conatus fuerit, idem ipse nihilominus in Synopsi expositionis Historicæ, posteriore scilicet fœtu, & curis secundis elaborato, in huc modum probè explicat. Repræsentabo ipsa eius verba, vt quantum ille à prima sua expositione discesserit euidentius appareat: *Et hereditabunt hi, qui ad Austrum sunt, Montem Esau, & qui in Campesribus Philistinim, & possidebunt Regionem Ephraim, & Regionem Samaria, & Benjamin possidebit Galaad.* Hoc est fideles, qui primò in Iudæa erant pauci, & exiguis finibus clauderantur, exhibunt predicando, & dilatant terminos suos, vno quoque à vicinis Ciuitatibus, incipiente, vt fecerunt Apostoli Act. 8. & sequentibus. *Beniamin possidebit Galaad.* Paulus initio suæ conuersionis ibit in Arabiã, Gal. 1. Galaad enim postea dicta est Arabia, vt hic dixit Hieronymus. *Transmigratio exercitus huius, &c.* Iste exercitus qui ex Ierusalem exiit conuertet loca Gentilium vsq; ad Sareptam, id est vsq; ad Galliam. *Transmigratio Ierusalem, que in Bosphoro est, id est, que habitat in Hispania iuxta fretum Gaditanum, Apostoli, sine Discipuli eorum, qui tunc in Hispania erant, conuertet ad fidem Ciuitates Betica, que sunt ad Austrum, & postea paulatim ceteras.* Hæc Ribera. Lyrano autè, quod Ribera, alijq; si prauitati de vniuersè dicunt, ipse de Iacobo Apostolo distinctè explicat hisce verbis. *Transmigratio Ierusalem que in Bosphoro est: in H. habetur Sepharad id est in Hispania, vt dicit R. Salomon, quod fuit impletum per Iacobum Apostolum, eiusq; Discipulos, ibi fidem Christi primitus predicantes, & colla Gentium subiugantes &c.* Itaque venturos in Hispaniam Apostolos, in ijsque Iacobum Lyrano, alijque nonnullis exponentibus, prædixit Abdias.

52 Verùm, antequam ab hoc, insigni certè vaticinio, discedamus, operæ pretium erit respondere eiusdem Riberae obiectionibus. Licet, n. vir ille doctissimus in Synopsi sententiam, vt vidimus, planè mutauerit, nodos tamen, quos in Commentario inuoluerat, & argumenta, quæ conflauerat, nusquam dissoluit. Nostra igitur intererit ea diluere. Inuitus ad aliam litem diuerto; sed redibo statim. Interim fretus ductu Virorum linguam Hebræam apprimè callentium, &, quod caput est, Veritate, congressunt hunc, quem alioqui vitare deberem; non reformido.

Primum, negat Ribera Sareptam, lib. 3. Reg. cap. 17. appellari Sydoniorum, vt à Sarepta, hoc est, Gallia, distinguatur. Inepti quippè esse, & loquacis hominis eiusmodi phrasim; Neque verò Hispanum vllum, nisi verba superfluè funditantem dicturum; Eo Ascalonem Castellæ, vt distinguat ab Ascalone Palæstinorum.

Ego autem id quidem verum censeo quotiescunque ad familiares tantum, conterraneos suè loquimur. At cum ad externos etiam, & longinquo solo, ac cælo natos sermo dirigitur sicut per sacras literas, Deum facere palam est, ea sanè nequaquam inepta est locutio, sed valdè propria, atque vsitata. Id probo ex B. Hieronymo (vt alios præteream) lib. 1. Commentariorum in Matth. cap. 2. *In Bethleem Iuda*, inquit, *non Iudæa, quæ est enim aliarum Gentium Bethleem, vt ad distinctionem eius hic Iudæa poneretur?* Arbitratur igitur B. Hieronymus, quod Euangelista apposuisset *Tò Iudæa*, si altera aliarum Gentium extitisset Bethleem. Porro legi ego non rarò, libros quosdam Hispanorum Madriti typis excusos, qui prima pagella habebant, *Mantua Carpetanorum*. quod cognomen probè additum est, vt lector quisquis exterus sciret, non in Italia quæ alteram habet *Mantuam*, sed in Hispania fuisse excusum. Ad eundem modum ex Germania, & Belgio quotidie prodeunt libri cum eiusmodi Cognominibus Populorum, vt, *Lugduni Batavorum, Colonia Vbiorum, Neapoli Nemetum, Augusta Vindellicorum*. Cur id factum? profectò, vt intelligamus librum fuisse typis impressum in Urbibus Germaniæ, aut Belgij, non autem, *Lugduni Galliarum, Colonia Rauracorum, Neapoli Campanorum, Augusta Taurinorum*, siuè etiam *in Augusta Euphratesia*, quæ Asiæ Prouincia est, sicut Gallia (Hebræis Sarepta) Prouincia est Eurobæ. Meritò itaque censuerunt doctissimi illi, quos produxi, Interpretes, Sareptam ob id fuisse dictam Sydoniorum, quod etiam Galliæ Regio Sarepta apud Hebræos appelletur.

53 Pergit Ribera, & vt suadeat eiusmodi acceptionem, *Sepharad*, pro Hesperia, id est Hispania, esse figmentum nouorum quorundam Iudæorum, pernegat vllum antiquorum sic accepisse, aut vertisse, videlicet, neq; Iosephum Gorionidem in tota sua historia, neque Interpretem Syrum

in Epistola ad Romanos ubi occasio fuisset *sepharad*, appellandi; neque B. Hieronymum in tot suis ad Hispanos Epistolis aliter nuncupasse, quã Hispaniam, nunquam verò *sepharad*.

§ 4 Contendit insuper, non posse Hesperiam, siue Græcam dictionem *σπερδα*, *Sperida*, formari à *sepharad*, tum quod ea vox à Stella est Hespero, quæ in extrema Occidentali Hispaniæ plaga primò conspicitur: tum etiam quod *Speris* rectus, caret litera, D. quam habet *sepharad*. Ionatham autem, Paraphrastem, Caldæum, qui vocem *sepharad* vertit Hispaniam, siue Hesperiam, non esse adeò antiquum, ut vulgus Hebræorum Interpretum, atque illorum sequacium, opinantur: Neque porrò verum esse, quod Galatinus, nullo Auctore citato, scribit. Ionatham istum paulò antenatum Christum, & multominus ætate Aggæi, & Zacchariæ, quod Thalmudici tradunt vixisse, sed aliquanto post B. Hieronymum: alioquin, inquit, Hieronymus in Hebræis doctissimus, & versatissimus, nequaquam tanto, ut facit, silentio, antiquiorem se Bibliorum Interpretem præterisset. Rectè igitur B. Hieronymum unà cum Magistro suo Hebræo vertisse, in *Bosphoro*, non autem, in Hispania, atque huic standum esse interpretationi, quam licet Hebræi isti recentiores passim oppugnaverint, nunquam tamen à Romana Ecclesia, aut mutatam fuisse vidimus; aut aliquo modo correctam.

§ 5 Denique friuolum esse, & frigidum inuentum illud de Iudæis ab Nabuchodonosore in Hispaniam amandatis: Id enim neque reperiri vspiam, nisi in Rabinorum fabulosis Commentarijs, neque verisimile videri Hispanos aliò, quàm Babylonem (ut in sacris literis habetur) captiuos ductos. Neque credi posse, aut debere sæcem illam Iudaicæ plebis, Ciuitates Africa, aut noui orbis, siue Hispaniæ Australis postmodum acquisuisse, ac possedisse.

Hæc est reliquorum Riberæ Argumentorum Summa; quæ partim contra Abdiæ à nobis allatam explicationem non faciunt, partim non difficilè dissoluuntur.

§ 6 Enimuerò Gorionides, & Syrus vulgata voce, Hispania, uti maluerunt, non autem *sepharad* quæ obscura est, & Hebræis ipsis vulgò inusitata. id profectò deposcebat boni Interpretis officium, ut vterque perspicuis, atque vulgo notis vocabulis vteretur. Hieronymus autem eiusq; præceptor Hebræus, qui, in *Bosphoro*, sunt interpretati, nobis certè fauēt, quippe arbitror, & unà mecū ipsemet Riberæ in sua Synopsi cõsentit, vocabulo *Bosphori* Gaditanum hoc loco fretum intelligi, quod in Hispania est. Et verò cur potius Thracium, aut Cymmerium *Bosphorum* intelligamus, quam Gaditanum, nulla est ratio. Itaque cum *sepharad* vertit *Bosphorum* perinde facit, ac si vertisset Hispaniam; ut Ionathas Vzielis

filius

filius, qui Paraphraseos Chaldaicæ in Prophetas Auctor fuit, apertè vertit. Hunc verò, & si Ribera concederemus esse B. Hieronymo paulò posteriore, satis tamen eius antiquitas venerabilis esset. At est certè antiquior, & vt Galatinus ait, ante Christi Domini Aduentum floruit, quod patet ex eius genere, hoc est ex gente Thaneorum, quam diligentissimus Hebraicarum rerum indagator Serarius *m* euulgauit. Istius autem Ionathæ B. Hieronymum nunquam meminisse, ea potest reddi ratio, quod præter ordinarios, & celebriores Sacræ Scripturæ Interpretes, Symmachum, Theodotionem, Aquilam, quos solos in Origenis Hexaplis reperit nullum alium ex Rabbiniis soleat nominatim allegare. Itaque Originem secutus est. Origenis verò propositum fuit non laciniosas Paraphrases cuiusmodi ferè est Ionathæ Chaldaica, sed pressos solummodo Interpretes in Hexaplis recensere.

n lib. Rab-
binum duo.

57 Quod autem è Sepharad, quod terminum, Hieronymo teste, significat, possit formari *Sperida* atq; adeò Hesperia, immerito negat Ribera, & cū deesse ait literam D. Nodum in Scirpo quaerit. Non enim semper cogimur nomina deriuantes, aut vertentes, literas omnes primitiuorum in rectis deriuatorum ponere. Satis quippè erit, si in obliquis: Atque hoc modo iam cernimus literam D. quæ est in *Sepharad* reperiri in Accusatiuo *Sperida*, Exempla suppetunt in omni Idiomate & in Hebræo potissimè. Legantur Arias Mótanus in libro Chanaan, siue de Gentibus, & in cap. 12. Ios. ad fin. atque Goropius lib. 2. Hispanicorum. Multa sanè in his curiosus lector reperiet vocabula latina, aut Græca, quæ ex Hebræis vocabulis deriuata, formataque multò minorè partem primitiuorum retinent, quam *Speris*, aut *Hesperia*, sui fontis *Sepharad*.

58 Postremò frustra laborat Ribera vt probet Iudæos neque à Tito, neque à Nabuchodonosore in Hispaniã ablegatos, quid enim lucrabitur, etiam si hoc illi concederemus? Alij laborent, vt firment, de illis loquutum esse Abdiam, qui siue Titi, siue Nabuchodonosoris gratè in Hispania captiui ducti sint. Nos hisce non egemus, quippè qui cū Ribera ipso secundis curis locum hunc exponente, asserimus de Apostolis Abdiam Prophetasse deque Iacobo Zebedæi filio, qui è freto siue Bosphoro, Gaditano, in Hispaniam egressi, primum Ciuitates Beticæ, quæ sunt ad Austrum, & paulatim postea cæteros ad Christum conuerterunt, atque eiecto Tyranno Dæmone possederunt. Quæ igitur obiecit Ribera, sic diluisse sufficiat. Miror autem Virum Hispanum ob adeò debiles rationes (quamquam ab eo facundissimè expositas) sinere vt Hispanis eripiatur antiquissimum, & grauisimum testimonium ex Abdiaë verbis, à viris doctis probabiliter, & ingeniosè depromptum.

59 De Forstero autem hæretico homine, quem Ribera pro se allegat, nequaquam miror, & testimonium hoc Abdię aliò detorsisse, & nostros, qui apositè ad Iacobũ trahunt, contumeliosè tractasse, est enim literator ille de eorum numero impiorum, quorum maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo.

m Thren. 3.

n Matt. 24.

60 Post Abdiam Prophetam Christus ipse Dominus Prophetarum videtur iste B. Iacobi ad occiduas Regiones aduentũ præsignificasse, quando Iacobum, & Ioannem Zebedæi filios appellavit Hebræo, siue Syriaco vocabulo *Boanerges*, hoc est, Filios tonitruui. Scio multos interpretari filios tonitruui idem esse, atque tonitrua, ea scilicet Hebræorum phrasi, qua filios Medicorum Medicos, filios Sapientum Sapientes; filios hominum homines intelligunt. At ego Malim cum Auctore Commentarij in Marcum, qui B. Hieronymi titulo honestatur, alijsq̃ue nonnullis, capere, vt significet fulmina ipsa, quæ profectò quòd cum tonitruis erumpant, tonitruorum filij meritò nuncupantur: Ad eum scilicet modum, quo Ieremias Propheta in sagittas *pharetra filias* appellat. Iacobus igitur, & Ioannes Diuina quædam fulmina extiterant, quia sicut perhibente Christo, *n fulgur*, siue fulmen (vtrumque enim Christi proposito deseruit, & Hieronymus, atque Burgensis in suo Commentario vtramque vocem confundunt) *ab Oriente exit, & paret, vsq; in Occidentem*, ita ambo hæc Euangelij fulmina ex Oriente ad Occasum vsque penetrarunt: Ioannes quidem, cum iubente Domitiano Romam ductus est, ibique in feruentis olei dolium immersus illustre Christo testimonium protulit; Iacobus verò cum Hispanias adiit, easq̃ue Euangelij luce perfudit. Ad hunc sensum videntur exposuisse vocabulum Boanerges Victor Antiochenus Commentario in Marcum, & Venantius fortunatus Carmine de Iacobo Apostolo: ille sic ait: *Vocantur filij tonitruui, quia eorum prædicatio magnum quemdam, & illustrem; λαμπρόν* (vnde Itala vox, lampo) *datura erat sonitum per terrarum orbem*. Obseruabis lector pulchrè hîc à Victore appellari filios tonitruorum fulmina. Nam quid aliud fulmen est siue fulgur, nisi cum ingenti sonitu splendor in nube? Ergo. Victor, cum vocabulo Græco λαμπρόν haud obscurè innuit à Christo accipi tonitruui filios pro fulguribus, siue fulminibus, qui tonante cœlo proruant, & vtramque cœli plagam illustrant, tum etiam non in sola Palæstina, sed in toto terrarum orbe ingentem sonitum Euangelij prædicatione duros. Venantius autem de solo Iacobo sic cecinit:

Cultoris Domini totum sonus exit in orbem,

Nec locus est, vbi se gloria celsa neget.

Gloria, inquit, id est lux, fulgor, vt & aliàs sapissimè ea vox in sacris præsertim literis accipitur. Si non fuit igitur locus, quem Iacobus non

reple-

repleuerit luce, consequitur fulgur hoc, fulmet que cæleste, à Magno illo tonitruo, quod æterni Patris Verbum est, emissum, vsque ad vltimas Occidentis partes, Hispaniæ videlicet Regiones, penetrasse, adeoque totum penè orbè velocissimè perlustrasse. Quia verò nō nemo eruditorum censet tonitru esse tam id quod cælitus è nube prōdit, quàm id, quod terra edit, & alio vocabulo terræ motus appellatur, *est enim nihil aliud in terra tremor, quàm in nube tonitruum*, vt ait Plinius; o & certè Trebellius p sic accipit, cum inquit, *auditum tonitruum terram mugiente, non Ioue tonante, quo motu multa fabrica sunt deuorata, multi terrore mortui*. Agè, & hunc quoq; significatū tonitru solis Ioāni, & Iacobo inter Apostolos cōuenisse ostendendū est. Quod vt fiat, opus est, vt sicut Ioannem ab Oriente ad Occidentem, id est Romam vsque venisse legimus, ita & Iacobum eius fratrem è Palæstina Orientis Prouincia, ad Hispaniam Occidentalem plagam peruenisse asseramus. Atque hac ratione soli hi Beati Apostoli commouerunt à facie Domini omnem terram, nempè ab Oriente Sole ad Occidentem. Nam Petrus, qui, & ipse ab Ierosolymis ad urbem Romam accessit, alio nobilissimo, à Christo Domino dignatus est cognomine, nempè *Cepha*: & Simon Cananæus, atque Thomas non in Occidentem, sed in Aquilonem excurrisse creduntur. Maneat igitur Iacobum, & Ioannem fuisse duo illa Euangelica fulgura, quæ ab Oriente exorta, Occidentem quoque collustrarunt, iste Italiam, ille Hispaniam.

61 Tertius est Hippolytus Martyr, & Episcopus Portuensis, qui vixit, & scripsit Alexandro Imperatore, hoc est circa annum salutis ducentissimum vigesimum. Is libello de vitis Apostolorum, & eorum prædicatione, qui M.S. extat in Bibliotheca Sirlletiana, asserit Iacobum adijisse Hispaniam. Ego libellum non legi, sed ex Velascio, & alijs, qui hæc diligenter explorauerunt, visum est tutò posse referre grauissimum, & antiquissimum hoc Hippolyti testimonium.

62 Quartus est S. Ioannes Chrysostronus Homil. de Natiuitate Domini quam habesto. 3. inter Homilias inter Lucam. Hunc locum ego primus vidi, & obseruauit; atque è magna Magni Chrysostroni segete, vcluti spicum legi, vt Iacobi ad Hispanos prædicationem prisco testimonio confirmarem. Chrysostronus ergo disputans aduersus Aegyptios, & Palæstinos, celebrantes Christi Natale non 25. Decembris, sed sexta Ianuarij die: *Dicit aliquis, inquit, Hic Christus natus est, (in Palæstina scilicet, vbi hanc orationem habitam esse ex his ipsis verbis liquet, fortassè occasione Concilij cuiuspiam, vt fit, cum in Synodis conciones habentur ab Episcopis, Presbyterisq; illuc coactis.) Ergo magis sciunt illi, qui longè, quàm illi, qui propè sunt. Vobis qui dixerunt? qui sunt in ista Prouincia Apostoli Petrus, & Paulus & ceteri Apostoli. Vos eiecistis, & nos suscepimus.*

o lib. 2. cap.
79.
p In vit.
Cas.

Petrus, qui hic fuit cum Ioanne, qui hic fuit cum Iacobo, nos in Occidente docuit. Et nostri igitur, & vestri Apostoli magistri sunt. Hæc ille. Tu autem, Lector, perpende mecum verba illa ad Hierosolymitanos, & Palæstinos, dicta: *Vos eiecistis, & nos suscepimus: Petrus, qui hic fuit cum Ioanne, qui hic fuit cum Iacobo, Nos in Occidente docuit.* Habebis quippè ex his. B. Iacobum in Occidente fuisse, & docuisse, vt & Ioannem, & Petrum nemo dubitat ad nos Occidentales accessisse. Neque id intelligere poteris de Iacobo Alphæi. Hunc etenim in Occidente docuisse, nulla vnquam alicuius extitit aut assertio aut suspicio. Hierosolymorum ille fuit Episcopus, & in Vrbe sua Christum assidue prædicauit, & prædicando occubuit. Ne verò dici possit, hic de solo Petro Occidentales docente testimonium ferri, obstant procul dubio verba illa quæ plurali numero subijciuntur: *Et nostri igitur, & vestri Apostoli magistri sunt.* Quod si quis contenderit Homiliam istam non esse Chrysostrami, is. n. patria Antiochenus, & dignitate Constantinopolitanus Patriarcha, nequaquam se inter Occidentales adnumerare poterat, neque dicere, *Nos in Occidente docuit*, qui nunquam in Occidente fuit. Si, inquam, id quispiam obiecerit, non repugno. At certè antiquissimum esse, & qui Ierosolymitano, siuè Palæstino (annè Diospolitano?) alicui Concilio interfuerit, nemo ibit inficias. Et puto ex Græco exemplari (quod nusquam hæctenus reperi) clarius elici posse Petrum & Ioannem & Iacobum in Occidentem aduenisse.

63 Quintus est Dexter, Paciani filius, Prætorio præfectus, cui B. Hieronymus opus de Scriptoribus Ecclesiasticis dedicauit. Vir iste clarissimus in libro de omnimoda historia, cuius aliquandò idem Hieronymus meminit, hæc habet. *Anno Christi 42. Iacobus Apostolus Zebedæi filius, multis peragratis Hispania Urbibus, & Ecclesiis erectis, Episcopisq; creatis, Petrum Bracari reliquit primum Episcopum.* Fragmenta iam dictæ omnimodæ historię nuper edita sunt è Cod. M. S. Bibliothecæ Fuldenfis à Religioso viro Hieronymo Higuera Societatis Iesu. Cæterùm dissimulare non debeo, Dexterum, in eo, quod scripsit, B. Iacobum Ecclesias in Hispania erexisse, Episcoposque creasse, aduersari procul dubio ijs, quæ superius, cum ad secundum argumentum responderemus, dicta sunt. At neque nouum, neque mirum est, rem vetustate oblitam à diuersis aliquantulum diuersè narrari. Nos verisimilius, & Innocentij Summi Pontificis dicto congruentius arbitramur, B. Iacobum in Hispania paucos solummodò conuertisse ad Christi fidem. Discipulos verò eius, postmodum Ecclesias fundasse, & Hispaniam totam Christo subiugasse. quod, & B. Gregorius VII. ad Regem Hispaniæ contestatus est.

64 Sextus est B. Hieronymus in Isaïæ Commentarijs hæc scribens *Quia Dominus mandauerit eis Apostolis. Ite, & docete omnes Gentes, baptizantes*

eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Spiritus illius congregauerit eos, dederit quæ eis sortes, atque diuiserit, vt alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Graciam pergeret. Non potest Hieronymus exponi, vt intelligat Paulum ad Hispanias iuisse; Nam quamquam id verum est, tamen id nunc HIERONYMVS non dicit, PAVLVVS quippè, quemadmodum de se ipse testatur ad Illyricum iuit. alius igitur præter Paulum est quærendus Apostolus, qui ad Hispanias ierit. Et quis alius, nisi Iacobus nam de Petro Apostolo nihil eiusmodi apud B. Hieronymum legitur, è quo id existimasse, conijci queat.

65 Septimus est Athanasius, siue Anastasius Antiochenus (an idem sit, atque Anastasius ille, cuius opuscula vno volumine comprehensa non ita pridem edita sunt, non audeo affirmare) qui libello de Passionibus Martyrum, *In hac, inquit, die multiplicibus cruciatibus affectus est B. Iacobus Apostolus, Frater Ioannis filius Zebedæi, id quæ postquam abiit in Occidentem, in Ciuitates Andiat, & fecit apud eos miracula, qua homines attoniti stupebant; ita quod conuerterit eos ad cognitionem fidei Dei excelsi. Tum reuersus ad Ciuitates Palaestina, prædicauit apud eas Euangelium Christi.* Obseruarunt viri Arabicè docti, vocem *Andiat*. Hispaniam significare; Anastasius verò iste floruit Anno Christi 540.

66 Octauus est Iacobus Episcopus Arabs, Anastasio Synchronos, qui verba eadem propemodum, de B. Iacobi ad Hispanias migratione scripta reliquit. Huius, & Anastasij libros Arabicè scriptos secum ex Oriente detulit Ignatius Patriarcha Antiochenus, quo tempore Urbem adiit, vt summo se Pontifici subderet, easque se vidisse testatur Iosephus Stephanus Episcopus Vestinus, vir & eruditione, & dignitate clarus lib. De Potestate coactiua Romani Pontificis.

67 Nonus est Aprigius Episcopus Pacensis, nobilis, & à B. Isidoro Hispalensi valdè laudatus expositor Apocalypseos. Hic in Digressione, quæ facit de nominibus Apostolorum ad Caput primum, Iacobo Hispaniam sortito contigisse his verbis affirmat. *Hi duodecim sunt Christi Discipuli, Prædicatores fidei & Doctores Gentium, quod dum omnes vnum sunt, singuli tamen eorum ad prædicandum sortes in mundum proprias acceperunt. Petrus namquæ Romam accepit, Andreas Achaïam, Thomas Indiam, Iacobus Hispaniam, Ioannes Asiã, Mattheus Macedoniam, Philippus Galatiam, Bartholomeus Lychaoniam, Simon Zelotes Aegyptum, Mattheus Iudæam, Iacobus Frater Domini Ierusalem & c.* Habemus nos istum Aprigij librum calamo exaratum. Reperiri verò in multis Hispaniæ Bibliothecis, & præcipuè in Excuriaca, testantur Possuinus in Apparatu sacro, & Alcasar in Apocalypsim.

68 Decimus est S. Isidorus, Hispalensis, Vir doctrina, antiquitate, dignitate, & vitæ sanctimonia suspiciendus. Is libro De vita, & o-

bitu Patrum in diuisione Prouinciarum inter Apostolos Iacobo contigisse Hispaniam iisdem propemodum Aprigij verbis testatus est. Accessisse verò B. Apostolum ad Hispaniam, quò destinatus fuerat, ibique Euangelium prædicasse, idem Isidorus eodem libro tradidit. Huius sanctissimi Præfulis, & rerum Hispaniensium scientissimi testimonium tam firmum est, tam solidum, vt Baronius cum eo se exoluere non posset, Isidori esse legitimum sætum planè negauerit. Sed frustra; illud enim opusculum esse Isidori Hispalensis, vt titulus præfert, testantur. apertissimè triginta, & eo amplius MM. SS. Codd. inter quos, (sicut Hispani nonnulli graues viri, qui eos viderunt, testificantur) decem scripti sunt Gothicis Characteribus, aded vetustis, & cariosis, vt ætate ipsius Isidori scripti esse videantur. Cæteri verò etiam antiqui sunt, & fide dignissimi. Præterea constat illud opus S. Isidoro tribuisse SS. Braulionem Cæsaraugustanum & Hildefonum Toletanum Episcopos, illum Isidoro æqualem, hunc supparem, atque (vt his Hispanis Germanus addatur testis) Sigebertum Gemblacensem in suo Chronico. Id ipsum Isidoro tribuunt Antiqua Hispaniæ Breuiaria, Tudensè: *Hispaniam quoq; Iacobus ad prædicandum adiit, vt auctor est Isidorus, Salmaticensè: Hispaniam adiisse, ibiq; Euangelium prædicasse, Auctor est Isidorus.* Dominicanum: *Hispaniam adiit, ibiq; Euangelium, vt Auctor est Isidorus: prædicauit.* Neque obstat quod cap. 71. dicti libelli De vita, & obitu Patrum, habeatur hunc Iacobum Zebedæi filium *duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione,* scripsisse quia nonnullorù profecto opinio fuit Epistolam illam Canonicam, quæ ad dispersas Iudæorù Tribus missa est, à Maiori, non autem à Minori Iacobo fuisse scriptam, inter quos fortassis, & Isidorus fuit: Et esto in ea re Isidorus, aut memoria lapsus fuerit, aut planè improbabilè opinionè laborauerit, Id tamen præiudicare non debet eiusdem apertissimo testimonio de Iacobi ad Hispaniã accessu. Potest etiam dici mendum esse in Isidori Codice, & pro *scripsisse, prædicasse,* reponendum. Verè enim Iacobus tum in Palæstina, tum etiam in Hispania Iudæis Euangelium prædicauit. Ob librarij autem oscitantiam non difficile fuit mendum irrepere. Quemadmodum, & paulò post in eodem libello insigne erratum deprehenditur, in dictione, *Carmarica,* pro qua, ex Breuiario Toletano scribendum est, *Marmorica,* sensusque erit Iacobum Apostolum sepultum fuisse in *Arca Marmorica.* Denique librum hunc Isidoro abrogasse nihil prodest Baronio. Satis enim est idem de S. Iacobi accessu reperiri in Breuiario Mozarabum, quod Isidori opera compositum Baronius ipse non semel affirmat.

69. Sanctus Braulio Episcopus Cæsaraugustanus, post Isidorum, vndecimū locū habeat. Is in præfatione ad vitam S. Isidori, quam Aethymologiarum libro Madriti edito, præfixam legitims, hæc habet: *Nam sicut Gre-*

gorius

*Alph. Sap.
in Thesau.
Nffie Mo-
zarabū, &
editio syria.
apud V. Vi-
mas. Stadiū.*

gorius Doctor Roma successit Petro, ita B. Isidorus in Hispaniarum partibus, doctrina Iacobo successit Apostolo. semina namque vitæ æternæ, quæ Beatissimus Iacobus seminavit, & reliquit, hæc doctissimus Doctor Isidorus verbo prædicationis, quasi vnum ex quatuor Paradisi fluminibus sufficienter irrigavit.

70 Duodecimus est Venantius Fortunatus Brulioni & Isidoro propemodum æqualis, qui de B. Iacobo cecinit versiculos illa, quos supra in Responsione ad secundum Argumentum exscripsimus, ijsque non obscure significavit Iacobi doctrinam, & prædicationem non se continuisse intra Iudææ fines, nec solis Iudæis, sed Gentibus quoque Euangelium disseminasse.

71 Non diu post vixit, scripsitque Beda, Presbyter sanctissimus. Is in libro Collectaneorum, dum agit de sortitione Prouinciarum, & de Apostolorum diuisione, ijsdem penè verbis, atque Aprigius, & Isidorus Hispaniam Iacobo obuensse affirmat. Ea hic non repeto, ne actum agam. At Baronius, & Bellarminus hoc etiam opusculum inter ambigua, & incerti Auctoris Apocrypha reiecerunt, moti stilo simplici, & rebus ingenio Bedæ non valde dignis. Sed certè neque alij Patres eundem stili, & rerum tenorem vbique seruauerunt, & tum veteres Codd. MM. SS. tum etiam Pamelius alijque recentiores id Opus Bedæ attribuunt.

72 His grauissimis Patribus, atque Historicis scædum fortasse videbitur Turpinum Episcopum Rhemensem adiungere: quippè quem vulgus censeat passim consuere fabulas, &

Portent a qua narrante matre

Attoniti stupeant puelli:

Nihilominus in hac re, quam libro de gestis Caroli Magni, apertissimè tradit, vt & in alijs multis, quæ narrat, gestis, veridicū esse, arguit ac propemodum euincit tot aliorum grauium scriptorum vnanimis consensus. Itaque etiam Turpino vetusto Scriptori, qui fuit Leoni III. contemporaneus, sua stet fides, & quartusdecimus in hac serie testium iure tribuatur locus.

73 Succedat Archiepiscopo Rhemensi Pontifex Maximus Callixtus II, is in Tractatu, & Homilijs de Iacobi translatione eundem B. Apostolum Hispanis prædicasse graui testificatione firmavit, Baronius autem Auctorem illum fuisse eiusmodi Tractatus atque Homiliarum, constanter pernegat. Quo argumento? Quod Episcopus Compostellanus in altercatione aduersus Toletanū hos Callixti libellos pro se nequaquā adduxerit. Vide, sincere Lector, quàm debili ratione libellos istos Baronius Callixto abiudicauerit. Ego verò primū de altercatione illa nihil hæc dico, ne, quæ superius scripta sunt, cum tædio Lectoris repetam. De huiusmodi verò argumentandi genere, quo Baronius nunc vtitur, Lectorem

rogo, velit meminisse, grauer, vt solent, & sapienter scholas asserere, *Leuissima ea esse argumenta, qua ab auctoritate negatiue ducuntur.*

74 Sextus decimus est Pelagius Ouetenis, Antiquus inter Hispanos, Historicus à Ribadeneira & à Villega laudatus, apud quos huius testimonij pondus, & fides esto. Ego librum hunc reperire non potui, & inuitus eos adhibeo testes, quos oculis hisce non legerim. Sed credendum est tamen ijs, qui legerunt, viris fide dignissimis.

75 Pelagio, Frisingensis paruo interuallo succedet; vixit enim anno Christi 1150. vt tradit Onuphrius in Chronico. Is verò lib. 3. Rerum ab origine mundi cap. 25. hæc scripta reliquit. *Nam alter Iacobus ab Herode decollatus erat, qui tamen prius, vt dicitur, Hispanis predicauerat.*

76 Decimum octauum locum Ioannes Beletus habeat, Othoni proximus, vixit enim Anno 1200. & in libro de Diuinis Officijs cap. 140. præclarum de hac re testimonium protulit, his verbis. *Huius Iacobi corpus quiescit in Compostella, Missus enim fuit, vt Hispanis verbum Dei concionaretur, sed propter malitiam, & duritiam Principum, extra nouem (nouem lege, non, vnum) ad fidem Christi neminem conuertere potuit, quod cum videret Vir sanctus, Ierosolymam redijt.*

77 Vincentius verò bellouacensis, qui vixit anno 1240. teste Trithe-mio, ipsis propemodum Callixti II. verbis Iacobi ad Hispanias accessum tradit, vt e Callixti opusculis, quos immeritò Baronius reijcit, sumpsisse videatur: Atque Iacobum e nouem Discipulis, quos ibi in Hispania aggrauerat, septem secum duxisse Ierosolymam, duos alios in Gallæcia prædicandi causa reliquisse. Hæc habet lib. 8. Speculi histor. cap. 6. pergitq; cap. 7. ea narrare de Iacobi prædicatione, Discipulis, obitu, & corporis in Hispaniam reportatione, quæ Callixtus scripserat.

78 Vigésimus erit Gulielmus Durandus, Vincentio suppar; vixit enim Anno sal. 1280. Is lib. 7. Rationalis Diuinorum Officiorum cap. 27. *Iacobus Maior, inquit, filius Zebedæi, frater Ioannis Euangelistæ, missus est ad prædicandum Hispanis, sed cum non posset nisi vnum Principem ibi conuertere, redijt Ierosolymam.*

79 Vigésimus primus erit Martinus Polonus qui vixit ætate Ioannis XXI. Rom. Pont. hic de Iacobo Apostolo ita scripsit in Chronico an. Christi 34. *Iacobus Maior Hispaniam circumiens, tandem Ierosolymis decollatur. Circumiens, inquit, vt Iacobi in Hispania commemorationem breuem extitisse intelligamus.*

80 Claudat hoc Patrum, & Historicorum agmen Sanctus Pater, & diligens, (vt illi ferebant tempora) Historicus, B. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus. Is in suo Chronico, hæc de B. Iacobo scripta reliquit: *Hic igitur Iacobus post Aduentum Spiritus Sancti ad Hispaniam accessit ad præ-*

dicandum,

dicandum, & cum videret gentem illam agrestem doctrinam eius non recipere (nam tantum nouem, vel secundum alios, tantum duos ad fidem cōuertit) illos duos secum ducens, reuersus est Ierosolymam.

Iam igitur vides, sincere Lector, quot firmamenta Traditionū, Conciliorū, Patrum veterum, atq; Historicorum habeat hæc sententia, quæ B. Iacobū Hispaniæ Euangeliū intulisse asseuerat. Quocirca nunquā equidē fatis mirari poterō, tot tantisque Scriptoribus, atque vetustissimæ Traditioni vnum Baronium, Virum alioqui in Historicis versatissimum, & qui, (vt de v. Hieronymo Augustinus dixit) omnes penē libros euoluerit, repugnasse. Porro Cardinalem illum præclarissimum id fortasse, saltem ex parte aliqua, excusare poterit. Quod multos ex ijs, quos protulimus testes, sua ætate nondum editos, videre nequiverit. Alioquin si legisset Anastasium, & Iacobum Arabes; Dexterum, Aprigium, Braulionem Hispanos; & quod maximi facio, Concilium Bracarense, nō dubito, dedisset ille manus. Adde Hieronymi, & Chrysostomi loca illa à me adducta vel Baronius non legit, vel si obiter vidit, fortassis (quod festinantibus, aliudque vestigantibus accidit) non admodum consideratè perpendit. Itaque cum is pleraque non legerit pleraque autem, (sed immeritò) spuria existimauerit, rem quam alioqui sibi visus est cum Actis Apostolorum difficillimè conciliari posse, abijcere maluit, quam firmare. At bene est: Huius facti veritas complusculis ab hinc annis, hoc est, ab eo tempore, quo in dubium verti ccepit & ipsa vires acquirere; atque in diēs, vt ritè ominor magis, magisque acquireret.

CONTROVERSIA SECUNDA

DE SANCTI MARTINI FUNERE A SANCTO Ambrosio procurato.

81



QVOD tradit B Gregorius Turonensis a Sanctum Ambrosiū dum Mediolani degeret, miro tamen modo interfuisse Turonibus, & celebrasse funus Beati Martini, sciunt Theologi id ex eo capite in dubium verti non posse, quod eiusmodi indiuidui (vt scholæ loquuntur) replicatio Diuina potentia fieri nequeat. Nā grauisima sunt rationum momenta, quæ è sacris fontibus deducta peritiarum rerum viri in medium afferunt, vt id Diuino numini possibile esse adstruant. Nobis, qui nunc Historicum agimus, sat fuerit è vetustis Christianorum historijs obiter hoc loco recensere exempla aliquot testa

a lib. 1. de
Mirac. S.
Mart. cap. 5

tissima

b Nys. tract
de Thaumatur.

c Martyrolog. Rom. die
6. Dec.

d Apud Su-
rium. To. 1.

c rancion.

f cap. 150.

g Ad. 4. A.
pri. & 11.
Nouemb.
h. To. 4. an.
351.

i Virg. I. Aen.
no. 1.

tissima videlicet b Sancti Gregorij Thaumaturgi absentis simul, & miro tamen modo, præsentis Troadio Martyri: hortantisque ne cederet cruciatibus: Nicolai Myrensis Episcopi, c Constantino Magno dum lo- gè abesset, apparentis, admonentisque vt Tribunus calumnijs pressos ab- solueret: Seueri Episcopi Rauennatis d simillimo huic, de quo disputa- mus, exemplo, funus Geminiani Episcopi Mutinensis procul remoti ad- mirandum in modum procurantis; Antonij Patauini e dum Patauij con- cionaretur, Vlyssiponem adeuntis, vt moribundum pia ope iuuaret Pa- trem. Si cui autem minus verisimile videatur id, quod eodem loco Gre- gorius Turonensis narrat, Ambrosium Sacrificatē totas duas horas in- dormiisse, vt interim celebritatem funeris Martino persolueret, is in Pra- to Ioannis Moschi, f libro videlicet à II. Nicæna Synodo sæpè laudato, si- milem prorsus legere poterit historiam, qua narratur Rumellensem E- piscopum coram Agapeto Romano Pontifice, & frequentissimo populo sacris operantem, Diuini Spiritus consueta luce perfusum, tres propemodum horas, cunctis admirantibus per excessum substitisse. Rem gestam Baronius ipse To. vj. Annalium recitat, recipitque. Itaque id solummodo restat firmandum, quod de anno obitus Ambrosij, atque Martini ab Amplissimo Cardinale nostra ætate in controuersiam adductum est. Si- quidem Cæsar Baronius eruditione, virtute, ac famæ celebritate clarissi- mus cum in suis Notationibus ad Romanum Martyrologium, g tum eti- am in Annalibus h difficili argumentorum molimine pernegat B. Am- brosium superuixisse B. Martino, imo probare nititur illum Anno Chri- sti 397. hunc autem 402. hoc est quinque post annis obiisse: ac proin- de asseri non posse Ambrosium, qui diu ante excessisset è vita, curasse Martini funus. Breuiarium verò Romanum rem tanto opere à Conditore Annalium exagitatam, prudenter tacet: quippè non est necesse omnia sanctorum Virorum gesta, etiam si certa sint, atque explorata, multò mi- nus ea, quæ controuersa sunt, in Ecclesiastici Officij breuem illam synop- sim includi. Id tamen habet, octogesimo primo ætatis anno, Tertio idus Nouembris B. Martinum ad cælum euolasse; Ambrosium verò anno sal. 397. Quod, vt in Romano Martyrologio est, contigit Prid. Non. Aprilis Quæ quidem Gregorij narrationi non parùm suffragari, non multò post, videbimus.

Ego verò (ingenuè fateor) nullo pacto auderem tantulus cum viro tā- to in aciem descendere, & imparibus adeò viribus congressi, me in me, quamuis ætate iam quinquagenarium, illud Virgilianum fortassis intor- queretur, i *Infelix puer, atq, impar congressus Achilli;* sed multa me tamen animarunt, atque adeò permouerunt ad hanc disputationem ineundam,

qua

quæ singillatim debeo hoc loco paulo diligentius exequi, antequam Baronij argumenta repræsentem.

82 Primum, Amor, & studium antiquitatis, quam à nouitate, vt passim fieri video, vndique impeti, ac de fastigio suæ auctoritatis longæuo tempore sibi comparatæ immeritò deturbati, indignè ferebam. Enimuerò narrationem istam procurati ab Ambrosio Martiniani funeris non heri derepentè, fungorum instar, exortam, sed ante annos mille à Gregorio Turonensi, qui proculdubio è Turonensis Ecclesiæ graui traditione, certisquæ monumentis eam accepisse existimandus est, literis consignatam posteritas habuit. Eadem tot sæculorum stabilita consensu, ac plurimorum scriptorum firmata auctoritatè, iam pridem meruit in sacrarum precum Breuiaria inseri, in lucem edi, & vno omnium ore decantari. Itaque rei narratæ testatissima grauitas, & adeò antiqui ac Sancti Scriptoris auctoritas promeritam sibi defensionem non à me solum, sed à quouis alio, qui sacras historias studiosius peruoluet, omni iure deprecabat.

83 Quis enim æquo animo patiatur maluisse Baronium vnum Hilduinum in abroganda B. Gregorio fide imitari, quam præscos Clericos Turonenses, Venantium, Fortunatum, & Abbatem Trithemium, qui omnes Turonensem Præfulem nò à sanctitate solum, sed etiam à prudentia, sapientia, grauitate, eruditioneque commendauerunt? Scitè eruditus quidam è recentioribus: *Nunquam, ait, negabo, quin etiam profitebor, Gregorium Turonensem de Ecclesiastica historia, & Francorum gestis rebus præclare mereri, paucosque experiri quanta ex eius lectione utilitas capiatur ab ijs, qui non vnã historię Romanę partem sed vniuersum genus amplectuntur.* Accedit non debuisse Baronium, Hilduinum testem adducere, vt B. Gregorium negligentia in rebus historicis, & simplicitatis argueret, tum quia ille de re valde diuersa ab ista, quam nunc tractamus, agit, tum etiam quia in Gregorio Hilduinus carpit (iure ne, an iniuria, alij viderint) id quod non tam Gregorij Turonensis est, quàm Anonymi Scriptoris historię Sancti Saturnini. Hunc enim testem ille aduocat, scilicet, vt apud ipsum rei narratę sit fides. Gregorij verba hæc sunt: *Huius Decij tempore septem viri Episcopi ordinati ad predicandum in Galliam missi sunt, sicut historia passionis Sancti Saturnini Martyris denarrat.* Ita excusat B. Gregorium doctus vir Saussleyus lib. 1. Annalium Aurelianensium. Et prudenter quidem: Sanctorum enim Patrum dicta à priuato homine non explodenda sunt, sed probè expendenda. Verùm abrupto odio in hunc sermonem, ne vt Anus illa Ptolomais, litem ex lite feramus, interim autem spero Dionysianam istam controuersiam à viro toleru, & docto, cui nunc esse in manu percepi, diremptam iri.

c. Brouer.
Notis ad
Venant. For-
187.

84 Altera causa suspiciendæ defensionis huius, extitit, quod deprehenderim Baronium signantem B. Martini mortem ad annum 402. longè videlicet post Ambrosij decessum, omni propemodum veterum testimonio esse destitutum. Nam Sigebertus, qui similiter, ad 402. figit Martini obitum, nequaquam debebat tantum virum à vulgata, & tot sæculis probata sententia dimouere. Sciebat enim Baronius, quis ille Sigebertus, & quot plausfra erratorum in suis Chronicis habeat. Quanquam si benè aduertatur etiam Sigebertus à nobis potius stat, quàm à Baronio, quoniam is ipse tradit Martinum secundum quosdam obiisse Anno Christi 399 & cum inferius suam scribit sententiam, ponit quidem Martini obitum anno 402. sed Ambrosium post eum, hoc est 403. obiisse opinatur; Baronius autem illud prius à Sigeberto, perperam licet dictum, arripit; postorius autem, quod sibi refragatur, tacet. Sigeberto adiungere nititur Seuerum, & ipsummet Gregorium Turonensem, sed vt infra patebit, immeritò prorsus, & casto labore.

85 Tertiò, facilè spero comperiet lector argumenta Baronij pleraque aduersus Turonensem conflata esse non ex verbis, quæ ille emendatè scripsisse credendus est, sed ex mendis, quæ vitio temporum in Gregorianos codices irrepserunt. Ego verò vt non negauerim multa nunc in Gregorij, addo & Seueri, reperiri operibus, quæ & à seipsis inuicem, & à recta temporum ratione discordant, & adedò planè discordant, vt neque à me, neq; ab alio quopiam conciliari posse existimem, ita nemo in euoluendis historijs paulò versatior, insciabitur in eiusmodi erratis facilè excusari posse Gregorium, & culpam omnem in librarios reijci, qui notas numerorum, siuè id genus dictiones, quæ facillimè corrumpi possunt, per oscitantiam, insciamuè corruerunt. Eas corruptelas si obseruasset, aut emédasset, excusatio interim (vt par erat) B. Gregorio, eruditissimus Baronius, & sibi diligentia, & solertia laudem peperisset, & sacri, atque antiqui Historici existimationem cum suo illo Hilduino, nequaquam deminuisset. Ego itaque in legendo, atque intelligendo vetere quocunque Scriptore distinctione opus esse arbitror, quæ ea quæ certò, vt nunc leguntur, scripsit ab ijs quæ ferè certò non ita scripsit separemus. Id vt feliciter assequamur, inter cætera conducit maximè conferre alia de re eadem, aut simili, eiusdem Auctoris loca: Rarò quippè accidit omnia esse adedò corrupta, vt ne vestigium quidem sinceræ scripturæ reliquum sit. Atque hac tandem ratione exsculpere poterimus veram loci sententiam.

86 Venio itaque Gregoriani Codicis corruptelas aliquot vestigatum vt ijs, antequam vltius progrediamur, quo ad fieri poterit, emendatis, clarior, atque expeditior deinceps, procedat disputatio. Insigne erratum est lib. 1. Historiæ Francorum cap. vltimo. *Temporibus Archadij, & Hono-*

ry (aliqui Codices addunt, *Secundo Imperij Anno*, sed gloriema est Iciolorum, quod & in Bricij Vita apud eundem Gregorium expungendum est Nam tùm Lippomanus tùm etiam Aldus senior, qui ante annos centum è veteribus MM. SS. primus omnium euulgavit Martini vitam, nihil tale habent) *S. Martinus Turonorum Episcopus plenus virtutibus, & sanctitate. præbens infirmis multa beneficia, octogesimo, & primo sua ætatis anno, Episcopatus autem vigesimo sexto, apud Condatensem Diocesis sua vicum excedens è saculo feliciter migravit ad Christum. Transijt autem media nocte, qua dominica habebatur, Attico, Casarioq; Consulibus. A Passione Domini Anno CCCCXII.*

Iam quis non videat hæc cum ratione temporum aperte pugnare si notas numerales ita, vt Codex nunc habet admittamus? Si enim tempore Archadij, & Honorij Martinus obiit, quomodo à Passione Domini CCCCXII. hoc est à nato Christo 445. id contingere potuit, quando non iam Archadius, aut Honorius, sed Theodosius, & Valentinian. imperabāt? Rursus, si à nato Christo 445. qua ratione verum erit obiisse ætatis suæ octogesimo primo quem constat natum Costantino Imperante, hoc est, ante annos centum & triginta. Denique Atticus, & Casarius Cons. fuere aliquot annis ante quatringsesimum, cur igitur scriptum est gessisse Consulatum quinquaginta, post, annis? Et verò Scaliger, Masseus, Baronius alias, atque alias ex his paucis verbis diaphonias collegerunt, sed plerasque immeritò, vt videbimus, & superuacaneo opere. Ista verò, quæ nos adduximus menda, non difficile corrigemus, si notam numeralem CCCCXII. quæ procul dubio corrupta est, restituamus hoc pacto, CCC-LXIII. obiit enim Martinus anno à Passione Domini 362. qui fuit ab eiusdem Natiuitate 395. Debere autem notam iam dictam sic emendari, ex Gregorio ipso euidenter colligo. Is enim explicitè scribit, Martinum eo anno obiisse, quo vndecima Nouembris incidit in diem Dominicam. Patet autem his verbis descripsisse non alium Annum, quam 395. Hoc quippè anno, & non alio, circiter ea tempora occurrente, dies Dominica fuit vndecima Nouembris.

87 Accedit alterum veræ lectionis indicium, quòd ad oram lib. 2. cap. 43. eiusdem historiae Francorum scriptum sit, Clodoueam obiisse Anno Christi 507. Cum enim alibi sæpè repetitum sit ab eodem Gregorio, Clodoueam obiisse anno 112. à Martini obitu, ex horum collatione locorū clarissimè habetur, Martinum obiisse anno Dom. 395. Nā si à 507. detrahas 112. reliqui erunt 395. neq; plures, neq; pauciores. facile verò fuit corrūpi CCLXII. & fieri CCCCXII. Antiqui enim Notarij, atque Arithmetici, literam C. quæ centum significat, non litera semicirculari, vt nunc fit, sed angulari ad hunc modum [formabāt. Vide Manutij de numerorum notis Commentarium. Itaque proclive fuit per librariorum oscitantiam

addi superiorem illam lineam prostratam, atque ex L. euadere [& postea C.] Porro hanc emendandi formam, ex ipso didici Baronio, ut Baronius à Latino, qui notam numeralem CCCXXX. apud Philastrium de hæresibus cap. 112. eodem modo mutarunt in CCCLXXX. Lege Baronianas Notationes in Rom. Martyrologium ad xv. Kal. Augusti. Obijtigitur Martinus Anno à Passione Domini CCCLXII. qui est à Christo nato 395 Alia similiter eiusdem Codicis errata infra detegemus, & emendare conabimur, ne quod B. Hieronymus ait Præfatione ad Eusebij Chronicon *Vitia librorum ad auctorem referantur.* Quod quantarum inter eruditos turbarum causa sit, sæpè videmus.

88 Quartò, Animaduerti Baronium, aliosque nonnullos ob id potissimum Gregorij narrationem reijcere, quod cum dicat Martinum obiisse Attico, & Cæsario Cons. putant etiam eundem statuisse obitum Martini anno salutis 397. Et id quidem iuxta Vulg. Fastos rectè cõsequitur. At Gregorius aliter statuisse Consulum Fastos existimandus est, quia ipse, ut supra vidimus, clarissimè significat, Atticum, & Cæsarium eo Anno gessisse Consulatum, quo vndecima dies Nouembris contigit in diem Dominicam, atque adedò in Annum Christi 395. Quanquam autem id & à Vul. Fastis, & fortassis à recto Consules statuendi modo dissideat, ne tamen mirere, studiose Lector, Nam, si licuit aliquibus vetustis, & recetioribus Chronographis dissentire ad inuicem in figendis Consulibus ad annos Christi, ut patet in his ipsis Cæsario, & Attico, de quibus nunc agimus, quos per mirandam, & miserandam varietatem, Suffridus figit ad annum 401. Holoander ad 400. Nonnulli Codices Prosperi ad 399. & alij ad 398. Onuphrius verò, Baronius, Gordonus, Sigonius, & alij multi ad 397. Gerardus autè ad 396. Cur non licet Turonensi figere ad annum 395? Enimvero, cum constet tantam hanc varietatem euenisse, siue ob auctum, diminutumue numerum Cõsulum intra ipsam Fastorum à Christo nato coordinationem, siue ob diuersitatem Consulum ad annum ipsum Christi nati assignatorum, vtrâque causam contrahendorum Consulum biennio citius, quàm vulgares Fasti habeant, potuit habere Gregorius. Priorem quidem si v.g. Gordianos illos Cõsules quos sub Probo Imper. quidam ex Vopisco in Fastis collocant ipse cum alijs, quorum vnus est Onuphrius è Fastis abstulerit. Fuerunt enim dùm Romanum ad vastitudinè declinaret Imperiũ, atrocia adedò tẽpora, ut ob id nunc confusa cernatur Fastorũ series, & Cõsules suffecti ab Ordinarijs vix, aut ne vix quidè distingui possint. Sciunt quippè eruditi historici post Seueri Imperium multos ex suffectis Consulibus, vnà cum Ordinarijs in Fastos Romanos præter ius, ritumque veterum fuisse collocatos: Quæ res quam valde temporũ collectiones turbet, nemo non videt. Exemplo sit annus post mor-

té Aureliani Cæsaris, quo neque de quatuor succedentium Imperatorum spatiis, neque de Consulibus conueniunt Scriptores.

89 Altera item causa hic locum habet. Nam, si anno nati Christi non assignentur Lentulus, & Messalinus; neq; Augustus, & Siluanus, vt alij atq; alij tum veteres, tum recentiores faciunt, sed Lentulus & Piso Coss. vt nonnulli, & reclamante licet antiquitate fidenter assignant, profectò admirari, aut argutari nemo debet, quod consequenter Attici etiam, & Cæsarij Consulatum biennio citius quam Fasti vulg. faciant, Gregorius Turonensis affigat.

lege Pigbi-
um in Fastis
Rom.

90 Præterea, sciunt Chronographi, atque Historici, non admodum referre qui, quo anno assignentur Consules, modò de Annis Christi, aut Olympiadum, aut conditæ Urbis, vel Orbis sit certum. Nimirum eiusmodi certis temporibus fixæ Epochæ satis olim fuerunt Chronographis ad suas rationes rectè putandas. Hanc ego existimo esse causam cur Eusebius, & Hieronymus Fastos Consulum omiserint in suis Chronicis: & si quando aliquod par Consulum obiter isti nominant, vt à Hieronymo ad finem sui Chronici factum est, dum adnotat viui comburium Valentis contigisse ipso Valente VI. & Valentiniano II. Consulibus, id, mirum, quanta dissentionum occasio fuerit: quippè ad eum locum alij addiderunt Annum Christi 381. alij 379. alij 378. Addiderunt inquam, narratio numerandi per Annos Christi inuenta, atque in vsum deducta est à Dionysio Exiguo, multis annis Eusebio, Hieronymo, Prospero, aliisque vetustis Chronographis posteriore, testaturq; diligentissimus Aubertus Myræus ad orâ Hieronymiani Chronici à se editi, neq; in Amadino neq; Aquicinctensi vetustissimis Codicibus se reperisse annos Christi, vt nunc impressi libri habent adnotatos. Denique fac omnia ista, quæ excusando Turonensi adduximus, rigidus quispiam Censor abijciat. Fac illum (quod tamen non omninò concedimus) malè collocasse Atticum, & Cæsarium ad Annum sal. 395. est ne idcirco omnis illa de obitu Martini, & de eius funere ab Ambrosio procurato, refutanda narratio à vetusto ad eò, & graui, ac Sancto Historico posteris tradita? Recentiorum plerique omnes quot sphalmata habent in suis Fastis Chronicisque? Nunquid id eò ea, quæ perperam assignatis, Cõsulibus narrant, falsa existimabimus? Aequum igitur erit, sincere Lector. vt cum me demonstrasse deprehendes Ambrosium superuixisse Martino, omniaque Baronij Argumenta debilitata, atque vti spero, dissoluta videbis, & Turonensis narrationem recipias, & me nec malam prorsus causam suscepisse, nec segniter defendisse pronuncies.

Sed vt eruditissimi Baronij obiectiones, ac nostræ responsiones probè

percipiantur, vitium est de Fastis hanc, quam subijcio, paucorum Consulium seriem decerpere; Nam intra hunc breuem Circulum versabitur tota propemodum nostra dissertatio. Quæcum crebris, ijsque molestissimis sit referta supputationibus, & Fastorum, ac temporè implicata tricis, attentum, & harum rerum peritum Lectorem omninò requirit.

Anni CHRISTI
iuxta Fastos
Onuphr.

Anni Christi, Fastis assignati, ut elicitur à
Gregor. Turon.

379	Ausonius Gallus, & Olybrius.	377
380	Theodosius, & Gratianus Augusti.	378
381	Eucherius, & Syagrius.	379
382	Syagrius II. & Antonius.	380
383	Saturninus, & Merobaudes.	381
384	Clearchus, & Ricimeres.	382
385	Archadius, & Bauto.	383
386	Honorius, & Euodius.	384
387	Valentinianus III. & Eutropius.	385
388	Theodosius II. & Cynegius.	386
389	Timasius & Promotus.	387
390	Valentinianus IV. & Neotelius.	388
391	Titianus, & Symmachus.	389
392	Archadius, & Ruffinus.	390
393	Theodosius, & Habundantius.	391
394	Archadius III. & Honorius II.	392
395	Olybrius, & Probinus.	393
396	Archadius IV. & Honorius III.	394
397	Casarius & Atticus.	395
398	Honorius IV. & Eutybianus.	396
399	Theodorus, & Eutropius.	397
400	Stilico, & Aurelianus.	398
401	Vincentius, & Praxilla.	399
402	Archadius, & Honorius Augg. V.	400

Iam verò producenda mihi sunt argumenta Illustrissimi Baronij, iisq; singillatim respondendum est.

Contendit Illustrissimus Baronius B. Ambrosium decessisse Anno Christi Vulg. 397. & S. Martinum Anno 402. hoc est quinquennio post Ambrosium, ut inde certissimè colligat non potuisse Ambrosium tam diu ante mortuum, celebrare funus B. Martini. Nos verò tócc-

dimus

dimus quidem Ambrosiū obiisse Anno Christi vulgari 397. negamus tamen id posse colligi ex Argumentis à Baronio allatis, ea enim, quæ in medium affert, sunt incertissima, vt mox patebit. Tuemur præterea cum Gregorio Turonensi Martinum obiisse Anno 395. hoc est Biennio propemodum ante Ambrosium, ac proinde potuisse celebrare, & porro celebrasse B. Martini funus. Dissoluamus igitur primū Argumenta Baronij quæ spectāt ad Annū obitus S. Ambrosij, tametsi ab ipso in ea re nō dissentiamus; Deinde eiusdē Baronij argumēta proponenda nobis, & profliganda sunt, quib. nititur probare Martinū obiisse Anno Christi Vulg. 402 Ambrosium obiisse Anno Christi vulg. 397. his rationibus sibi visus est euicisse Baronius.

91 Concilium III. Carthaginense celebratum est Attico, & Casario Cofs. mense Septembri: sed iam tum obierat Ambrosius, eius enim obitus in fastis ponitur die 4. Aprilis, ergo obiit aliquot saltem Mensibus ante Martinum qui decessit vndecima die Nouembris. Maior propositio sumitur ex Præfatione eiusdem Concilij, vbi habetur celebratum fuisse Mense Septembri Attico & Casario Cofs. Assumptum verò probat Baronius ex Can. 48. eiusdem Concilij, quo agebatur, an fas esset ad Clericatum assumere eos, qui antea Donatistæ fuissent; Huiusque rei determinationem Patres Concilij deuoluunt ad Siricium Summum Pontificem, & ad Simplicianum Episcopum Mediolanensem, qui Ambrosio successerat; Obierat igitur Ambrosius cum editus est ille Canon & celebratum est illud Concilium Attico, & Casario Cofs.

RESPONSIO.

HO C argumentum validissimum quidem videtur, sed reuera infirmissimum est, nititur enim Africani cuiusdam Concilij confusis, & interpolatis Canonibus. Nam id Concilium, quod Tertium Carthaginense nuncupatur, esto, celebratum fuerit Attico, & Casario Cofs. nequaquam tamen inde haberi potest post mortem Ambrosij celebratum esse. Ad probationem ex Can. 48. iā dicti Concilij, nego, Canonem illum esse sancitum in eo Concilio, tametsi nunc inter illius Canones reperiatur. Nōrunt sacræ Antiquitatis Cōsulti, Africanorum Conciliorum Canones adeò permixtos esse, atque cōfufos, vt plerumque quis cui tribuendus sit, difficilè queat agnosci. Exemplo sit hoc ipsum Carthaginense Concilium, quod Tertium vulgo nuncupatur, quinquaginta continens Canones: Nā ex ijs multos nō hoc eodē Concilio, Attico, & Casario Cofs. habito, sed alijs, atque alijs Concilijs Africanis fuisse sancitos ipsemet Baronius Annali quarto ad Annum Christi 397. fol. 39. & 40. fatetur ingenuè. Idq; meritò, ac iure facit, siquidē Canō. 47. qui est de numero Sacrorū Librorū, apertè id ostēdit quando

quidem

quidem in eo Bonifacius Papa, qui diu post illa tempora sedit, appellatur. Id ipsum agnoscit fateturque Baronius, notis ad Martyrologium ad 2. Nouembris in Victorino Martyre, & ad 20. Nouembris in Benigno Episcopo, vbi de Concilio Carthaginiensi verba habet. Iam verò (quod rem nostram, qua de agimus, propius tangit) ipsemet Canon 48. cui Baronius innititur, à Gratiano citatur, non vt Carthaginiensis III. quadragesimus octauus, sed vt Africani cuiusdam decimus quartus. Cuius quidem varietatis, atq; luxationis ea à peritis rerum antiquarum causa redditur, quod omnia Concilia Africana, diuersis licet temporibus habita, in vnum Canonum Codicem permixta, atque perturbato temporum ordine conflata fuere: Accedit quod iniuria temporum facile fuit Ex scriptoribus errare in nota numeri. Et præterea palam est consueuisse veteres Afros omnia Concilia Africana vno eodemque conclusa volumine appellare Concilia Carthaginiensia, tametsi pleraque ex ijs in alijs Africae Ciuitatibus celebrata fuissent, ea, puto ratione, quod Carthago primaria fuerit totius Africae Ciuitas, & Metropolis, ac proinde factum est, vt vocabulo Carthaginiensium Africani, plerique omnes significarentur. Vnde Carthaginienses, & Pœni confunduntur. Hinc Punicus *αὐβικός* idem est atq; Carthaginiensis. Vnde Punicæ mala, id est Carthaginiensia: & contra Ciceroni Carthaginienses pro Punicis, & Afris: Pro l. Agrar. *Carthaginienses fraudulentis, & mendaces*: quos Plautus, Lilius, Silius vocant Punicæ fide homines. Adde his, quod in eodem Concilio, è quo Gratianus excerptit Canonem iam dictum profitemur se reperisse etiam Canonem similem, qui incipit: *Qui apud Donatistas, &c.* Et materies quidem probè consentit; nam in vtroque de paruulis à Donatistis baptizatis agitur. Id ipsum fatetur Deus dedit Card. Sarorum Canonum Collector Gratiano aliquantò antiquior. Cum itaque posterior iste Canon non reperiat hodie inter Canones Concilij Carthaginiensis III. aperte sequitur etiam superioris, de quo disputamus Canonis suspectam esse, & incertam sedem; ac proinde non in Carthaginiensi III. Attico, & Cæsario Cofs. sed in aliquo alio Africano Concilio Siricij tempore celebrato, esse collocandum.

92 Neque verò quicquam Baronium iuuat id, quod ipsemet ad suam firmandam sententiam subdit in Notis ad Martyrologium ad diem 4. Aprilis, videlicet non posse prædictum Canonem in posteriora tempora differri: quandoquidem Siricius sequenti Anno Honorio IV. & Euty-chiano Cofs. octauo Kal. Martij cessit è vita: Hoc enim ipsum falsum est, & antiquis morum Historicorum Damasi, Prosperi, Socratis, Cassiodori, Luitprandi, Abbonis, Nicephori Episcopi, Martini Poloni, aliorumque multorum auctoritate redarguitur vt falsæ, aut saltem incertæ assertionis; ij enim non tredecim Annos solummodo, sed totos quindecim

& men-

& mentes aliquot sedisse Siricium asseuerant. De mente autem, & die, quo Siricius obiit, par dubitatio est, Nam Bedæ Martyrologium, quod idem fermè esse, ac Romanum, atque adeò fide dignissimum, Baronius ipse testatur, ponit diem obitus Siricij, non VIII. Kal. Martij, sed VI. Kal. Decembris, tametsi Baronius præscorum Codicum fidei sese opponere, & Bedanum in hac re Martyrologium corruptum arguere, aut aliquid falsum à Beda asseri demonstrare nitatur. Peruenit igitur Siricius, si iam dictos tot, & tantos Historicos audire velimus, non solum vsque ad Septembrem sequentis anni, sed etiam vsque ad finem, & eo amplius: atque adeò potuit ad illum, & ad Simplicianum Ambrosij successorem Canon ille, seriùs quàm Baronius censeat, sancitus, commodè deferri.

93 Alterum item Baronij Argumentum nihil plus habet roboris. Obiit, inquit, Imper. Theodosius ann. 395. die 16. Ianuarij. Ergo S. Ambrosius obiit 397. die 4. Aprilis. Et probasse sibi visus est sequelam istam, ex Paulino in vita S. Ambrosij scribente Ambrosium superuixisse ferè triennium Theodosio. Alioquin si Ambrosius peruenit vsque ad Aprilem anni sequentis, is non ferè triennium, vt Paulinus tradit, sed vltra trienniù superstes fuisset. Omnis igitur vis Baroniani argumenti consistit in particula illa, *ferè*. At id debilissimum est fulcrum. Nam *Tò ferè*, non semper minuit, sed, vt Grammatici docent, aliquandò etiam addit. Vid. Tursell. lib. de particul. c. 61. n. 2. Id patebit exemplis. Cic. lib. 12. Epist. *Hac erant ferè que tibi nota esse vellem.* Idem l. 3. de natura Deorum. *Hac ferè habui dicere de natura Deorum.* Significat enim pauca quædam præterea fuisse. Similiter, Exod. 12. Filij Israël egressi ex Aegypto dicuntur fuisse *ferè sexcenta millia*, id est paulò plus. Nam nu. 1. post. annum recensiti sunt 60350. ætatis 20. an. & supra, præter occisos Exod. 32. in adoratione vituli. Ita hanc particulam *ferè*, declarat Perer. l. 11. in Dan. Item Luc. 23. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebra facta sunt.* Marc. 15. *Et facta hora sexta, tenebra facta sunt.* Iansenius, & Burgensis conciliant quòd *Tò ferè*, significet apud Lucam paulò plus, hoc est, quod non diu præterita esset sexta hora. Denique ipsemet Baronius Tomo 1. Annal. eodem modo accipit *Tò quasi*, apud Lucam cap. 3. scribentem: *& ipse Christus erat incipiens, quasi annorum triginta;* hoc est expleto 30. & cepto anno 31. Vide eundem Baronium in Apparatu, dum agit de anno nati Christi. Plura sunt eiusmodi Sacræ Scripturæ loca, sed prætereo. Illud tamen quod apud Seuerum lego, non debeo omittere. Is in vita S. Martini, illius inquam Martini, de cuius pretiosæ mortis tempore nunc disputamus, sumit *Tò ferè* pro paulò amplius, ipsemet Baronio exponente. Verba Seueri hæc sunt. *Triennium ferè ante Baptismum in armis fuit*, Baronius verò in suis Notis ad 11. Nouembris, tradit S. Martinum, non triennio solo, sed quadriennio postquam

militare cepit, baptismum suscepisse, non alio utique huius rei Auctore (quis enim alius de ea re scripsit?) quam Seuerio loco iam dicto. Rursus idem Seuerus lib. 2. Historiæ, *Prælium*, ait, *Marathonium gestum est post Romam conditam anno ferè ducentesimo, & sexagesimo. Macherino, & Augustino Coss.* Hæc ille: & tamen ab Urbe condita ad eos Consules sunt anni pleni 261. Ita verò dicere Seuerus maluit; quippè nouerat, particulam, ferè, quandoque non minuere, sed augere. Sed de re minima, iam satis multa. Itaque concludo argumentum baronij, particulæ, *ferè*, innixum, non procedere. Profligatis igitur his Baronij rationibus, restat, illud esse ad hoc idem probandum facilè validissimum, quod è Cyclo Paschali manifestè colligitur, videlicet, non posse alio anno statui obitum Ambrosij nisi anno 397. eo enim solo Anno, & non alio (per ea circiter tempora) contigit Sabbatum Sanctum die 4. Aprilis, qua die, Ambrosium decessisse in Vigilia Paschæ Fasti Sacri, atque Historici omnes affirmant. Hoc igitur certissimum argumentum erat afferendum. Itaque valdè miror eruditissimum Virum debilia hæc attulisse & rebus incertis innixa; Ea enim non sua vi, sed casu quodam verum concludere iam ostendimus.

Sed accedamus nunc ad examinandam alteram partem, quam Baronius aduersus Gregorium Turonensem statuere nititur: hoc est B. Martinum obiisse anno sal. 402.

94

PRIMUM ARGUMENTUM.

SEVERVS Discipulus S. Martini, & eiusdem vitæ narrator, tradit Martinum vixisse sexdecim Annos post Conuentum Treueri habitum de causa Priscilliani, ergo Martinus obiit Archadio, & Honorio V. Coss. anno iuxta vulg. Fastos 402. eo enim Anno, & non ante, terminantur sexdecim Anni iam dicti. Antecedens asseritur à Seuerio his verbis: *Sexdecim postea vixit Annos, nullam Synodum adiit: ab omnibus Episcoporum Conuentibus se remouit.* Sequela autem facilè probatur. Nam Synodus illa habita est Euodio Consule quem ad Conuiuium vnà cum S. Martino Imperator Maximus eo tempore euocauit. Ab Euodio autem Consule, quem vulg. Fasti figunt ad Annum 386. vsque ad Arcadij, & Honorij Quintum Consulatum hoc est vsque ad Annum Christi 402. sunt sexdecim Anni, neque plures, neque pauciores, Eo igitur anno B. Martinus obiit. Vide Fastorum seriem suprapositam.

RESPONSIO.

95 ANTEQVAM ad hoc argumentum è directo respondeam, libet Seuerum ipsum, quem iam nos Baronius intorlit, in Baronium retorquere. Seuerus alibi scriptum reliquit Beatum Martinum eo tempore fuisse iam septuagenarium, hoc est habuisse annos septua-

ginta

giata, & quod excurrit; Atqui non produxit ille vitam ultra octogesium primum Annum, vt præter Gregorium Turonensem qui id multis locis constanter, & incorruptè scriptum reliquit, Breuiarium Romanum nouissimè recognitum affirmat, ergo ex eodem Seuero clarissimè colligitur vixisse Martinum post Synodum Treuerensem solum modò nouem, vel decem Annos, non autem sexdecim, alioquin produxisset vitam multis annis ultra 81. Seuerus igitur Seuerum emendet.

96. Itaq; ad Baronij argumentū directè dico, Antecedēs debile esse, imò falsum eò quòd, vt demonstraui, cū annis vitæ Martini consistere nō potest. Ideò dicendum est vel lapsum memoria Seuerū, vt Victor Giselinus suspicatur, vel esse corruptum Seueri codicem, vt ante me Franciscus Haræus doctissimus Chronographus deprehendit, existimans Seuerum scripsisse non XVI. sed XI. & quidem emendanda omninò est ea nota, vt modò ex Seuero ipso demonstraui. Reponerem autem ego pro XVI. non XI. vt Haræus facit sed X. nam *Tò. Iam Septuagenarius*, significat procul dubio ex vi particulæ, *Iam*, fuisse tunc B. Martinum plusquam septuagenarium; sic enim in illo Horacij; *Iam satis terra niuis, atq; dira Grandinis misit Pater, &c.* Illud *Iam*, significat satis superque, copiosè, abundanter. Erat igitur tunc B. Martinus ætatis septuaginta vnus circiter annorum, quibus additi decem, exhibent 81. Quo autem fundamēto Baronius alioqui solidissimus Historicus, vt ad Annum Christi 402. faceret Martinum perueuisse, illi tribuerit 86. Annos, modò non quæro. Illud equidem scio breuiarij Romani nuperrimè emndati auctoritatem tanti fecisse & meritò, Gallonium siuè ipsummet Baronium in Apologetico aduersus Bellottum, vt fidenter existimarit eius præsidio se tueri contra aduersarios posse. Miror autem doctissimum Baronium ex nota numerali, quæ in omnibus propemodum vetustis Scriptoribus sæpissimè deprauata reperitur, argumentum conlase aduersus B. Gregorium Turonensem ad eò constanter asserentem Martinum obiisse Attico, & Cæsario Coss. anno salutis, vt ex eodem colligitur 395. Profectò legitimè ego facio, qui Seuerum, & Gregorium ipsum corrogo, quotiescunque in notis numeralibus mendam deprehendo; eundemque Gregorium pro virili parte tuor in re ista, quam absque nota numeri apertè constanterque asserit: E contra autem velim æquus Iudex censeat quàm benè sibi Baronius cōfentiat, qui cum sæpè alibi Seueri Codicem deprauatum clamet, videlicet in anno, quo Martinus natus est, quo baptizatus, quo militare cepit, quo militare desijt, quo Episcopus factus est, nihilominus ipse idem nūc istam vnicam dictionem, siuè numeralem notam XVI. ad eò incorruptam existimet, vt super eam magnam sui istius ædificij partem fundare non dubitet. Transeo ad

Secundum, & postremum Argumentum.

QUOD quidem eodem (vt verbum est) claudicat pede. Inquit enim Baronius. S. Gregorius Turonensis lib. 2. Hist. Franc. cap. vlt. scribit Clodoueu Regem vita migrasse Anno CXII. à Martini obitu: At ex altera parte constat Clodoueu peruenisse saltem vsque ad Ann. sal. iuxta vulg. Fastos 514. Ergo si à 514. subduxeris CXII. reliqui erunt 402. Anno igitur 402. Archadio videlicet, & Honorio Quintum Cofs. B. Martinus decessit. Antecedens quoad priorem partem iam probatum est auctoritate ipsiusmet Gregorij Turonensis: quoad alteram verò partem æquè probatur: peruenit quippè Clodoueus saltem vsque ad Hormisdæ Pontificatum, quem honorauit egregio munere aureæ, & gemmatæ coronæ, quemadmodum Anastasius Bibliothecarius, Haymonius alijque Scriptores tradunt; Hormisdas verò iniit Pontificatum Anno Christi 514. teste Damaso, siue Anastasio in Pontificali; Constat igitur Martinum non obiisse Attico, & Cæsario Cofs. anno, vel iuxta vulg. Fastos 397. vel, vt Turonensis supputat 395. Sed Archadio, & Honorio Quintum Consulibus Anno vulg. 402. quia illorum Consulatus distat à morte Clodouei Annis 117. horum autem 112. totidem scilicet, quot Gregorius Turonensis præscribit.

RESPONSIO.

HOC argumentum ita expeditio. Falsum est, aut saltem incertum Clodoueu Regem vixisse vsque ad Annum 514. concedo quidem peruenisse vsque ad Pontificatum Hormisdæ, cui coronam auream dono misisse legitur, at Hormisdæ Pontificatum alij citius, alij seriùs collocant in Fastis. Nò negauerim aliquos esse Historicos, qui cum Baronio supputant, attamen plures sunt, ijque grauissimi, qui multò citius consignant. Enumerabo aliquot. Paulus Diaconus Hist. Miscell. lib. 15. tradit Anno à Christo Incarnato 511. hoc est à Christo nato propemodum 510. Hormisdam misisse S. Germanum Capuæ Episcopum ad Iustinum Imp. qui Anastasio successerat. Sed cum idem narret Hormisdam alios Legatos iam antea misisse, meritò asseri potest Hormisdam, iuxta Pauli Diaconi opinionem iniisse Pontificatum anno Christi vulg. 508. vel summù 509. ac proinde eodem Anno Clodoueu obiisse; nihil igitur inde præfidij suæ firmandæ supputationi sumere Baronius poterit. Annales item veteres apud Cuspinianum, & Hermannus Contractus in suo Chronico videntur Paulo Diacono ad stipulari; statuunt. n. obitum Clodouei Anno. 509. Imo Aymoinus An. 500. & ab obitu Martini 112. hoc est obiisse Martinu nò ann. Christi 402. vt Baronius censet, sed multò citius; Prudenter igitur siue à Gregorio ipso, siue ab alio quodam erudito Viro, adoram lib. 2. cap. 43. quo loco Gregorius narrat obitum

Clodouei

Clodouei, scriptum est illud accidisse anno Christi 507. id enim optime consonat cum altero eiusdem Gregorii dicto, obiisse scilicet Martinum die Dominica 3. Id. Nouembris: Vtrumque enim dictum designat annū sal. 395. nam si à 507. detrahas 112. remanent 395. quod etiam supra obseruabamus. Huc propè accedit Matthæus V. Vetmonasteriensis, vetus ipse Historicus, & qui è vetustioribus suum Chronicon concinnauit, dū scribit Hormisdam iniisse Pontificatum Anno Christi 508. Vide igitur sincere Lector, quantum ea Baronij obiectio ducta à Clodouei decessu, & ab Hormisdæ Pontificatu vacillet, & nutet.

99 Nihil verò est, quod se Baronius tueatur auctoritate Damasi, siue Anastasij Bibliothecarij, Hormisdæ Pontificatum inter Consulatus Senatoris, & Symmachi, hoc est inter annos 514. & 521. concludentis: Aequum enim est me non pluris facere librum illum Pseudodamasi multis affumentis confarcinatum, innumerisque scatentem erratis, quam Baronius ipse faciat, qui passim ab eius libri auctoritate, atque præscripto recedit. Exempla ex plurimis pauca hæc satis erunt. Apostolo Petro ille Pseudodamasus tribuit Romanæ Sedis ann. 25. m. 3. d. 8. Baronius an. 24. m. 5. d. 11. Lino ille ann. 15. m. 3. d. 11. Iste ann. 25. m. 2. d. 23. Cleto ille ann. 12. m. 1. d. 12. iste ann. 12. m. 7. d. 2. Ille ait sedisse vsque ad Domitianum IX. & Rufum Cofs. iste vsque ad Traianum, & Glabrionem. Euaristo ille ann. 13. m. 6. d. 2. à Consulatu Valentis, & Veteris, vsque ad Gallum, & Graduum, iste ann. 9. d. 3. à Consulatu Pisonis, & Hastæ, vsque ad Auolam, & Panfam.

Quid plura? in huius ipsius Hormisdæ Pontificatus tempore, & Consulibus ab Anastasio, siue Pseudodamaso Baronius longè discedit, ille siquidem ann. 8 d. 17. iste an. 9. d. 10. Sedem Romanam tenuisse docet; ille tradit mortuum Cofs. Symmacho, & Boëtio; iste verò Cof. Maximo.

100 Par quoque varietas cernitur inter Baronium, & quem Baronius citat Marcellinum Comitem, tum in alijs Romanis Pontificibus, tum etiam in Hormisdæ, quem ille facit Pontificem Anno Christi vulgato 516. Honorio V. & Aureliano Cofs. hoc est, Biennio tardius, quàm Baronius velit. Verius ne Baronius, an isti, quos in contrarium produximus censeant, aliorum esto Iudicium. Satis nunc mihi est, palam ostendisse baroniana ista argumenta incerta ad eò, & debilia, non debere, nec posse B. Gregorij dicta refellere. 101 Adde his ipsummet B. Gregorium incertam reddere, & prorsus eneruare iam dictam supputationem annorum Cxii, cui Baronius innititur, quandoquidem libro x. Hist. Francisci capite 6. scribit Sanctum Perpetuum iniisse Episcopatum Turonensem Anno 64. à Martini decessu, sedisse autem Anno. 30. Volusianum verò eius successorem ann. 7. men. 2. Vitum ann. 11. d. 8. Lu-

cinium Ann. 12. m. 2. subiicitque hoc eodem Lucinio viuentē Clodouē reuertisse cum triumpho Turonos à cede Alarici Gothorum Regis, & anno vndecimo Episcopatus eiusdem ex hac vita migrasse. (Porro Baronius memoria lapsus est Notis in Martyrologium ad 13. Februarij cum scripsit Lucinium, vndecimo suæ Sedis anno ex hac vita migrasse, Clodoueus enim vndecimo Lucinij obiit, non autem ipse Lucinius; vixit quippe iste totos duodecim annos, & menses, vt dixi, duos) Puta nunc mecum Lector, has ratiunculas, profectò colliges Clodouei obitum contigisse anno circiter 122. à Martini excessu, non autem 112. vt alibi apud Gregoriū legitur. Præterea potest, & aliunde numerus ille 112. annorum facile refelli. Nam cum idem Turonensis alibi tradat Clodouēum obiisse quinto anno post Alarici necē; idē; ex hoc loco eliciatur contigisse anno Christi 517. quoniam poterit modo Baronius ex Gregorio a deo in notis numeralibus vario, hoc est, vt arbitramur, passim deprauato, certam de Martini obitu sententiam expromere? Denique tria habet Gregorius Turonensis ad obitum Clodouei spectantia. Primum, obiisse eum Anno 112. ab excessu Martini. Alterum, post Alarici mortem vixisse quinque annis Tertium, obiisse anno vndecimo Episcopatus Lucinij.

Baronius primum illud solummodò probat, quod suæ ipsius sententiæ suffragari posse existimat, reliqua duo improbat, aut tacet. Vel igitur omnia hæc tria probet: vel si id fieri non potest (quis enim adeo diuersa, imò aduersa conciliet?) omnia prorsus, quod à librarijs corrupta, & luxata sint, abijciat. Equidem nil reperio causæ cur illud primum dictum verius, & solidius existimari debeat, quàm secundum, & tertium, singula enim in eodem sacro Scriptore leguntur, & singula notis numeralibus, quæ in omnibus æquè depruari potuerunt, descripta sunt.

Argumenta itaque Baronij multis, vt vidimus, vacillant modis, tantū abest vt solida & valida censi debeant ad euertendā B. Gregorij Turonensis de Sanctissimi Martini obitu, & funere narrationē antiquissimi tot Ecclesiarum consensu, ac traditione firmatam. Cæterum, & si satis bene defensa ea narratio videri possit, hoc ipso, quod tela, quæ in ipsam doctissimus Baronius intorsit, hebetauimus, nisi fallimur, atque retudimus (ea enim apud eruditos, probosque viros debet esse vis, atque auctoritas antiquitatis, vt nili euidentissimè redargui possit, ex se ipsa stare, & suum pristinum robur, existimationemque retinere intelligatur.) Ego tamen, quia latentem veritatem magis, magisque in apertum proferre decorū est, libenter ijs, quæ diximus addam in super argumenta nostra aliquot è penu ipso antiquorum, & grauium historicorum cum fide producta. Probo igitur, Beatum Martinum non obiisse anno Christi 402.

PRIMUM ARGUMENTVM.

102 **M**ARTINVS obiit vndecima Nouembris, die Dominica. Ita habet Sanctus Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. Franc. cap. vltimo, & ne corruptam notam numeri suspicere, id ipsum explicatè, & disertè repetit lib. 1. Mirac. cap. 3. his verbis: *Gloriosum ergo, & toti mundo laudabilem eius transitum in die Dominica fuisse, manifestum est, vt in sequentibus certis testimoniis comprobabimus, quod non parui meriti fuisse censetur, vt in illa die eum Dominus in Paradiso suscepit, qua idem Dominus, & Redemptor victor ab inferis surrexit, & vt qui Dominica solemnia celebrauerat impollutè, post mundi pressuras Dominica die locaretur in requie.* Gregorio ad stipulantur SS. Seuerinus Episcopus, & Euergistus tum Seuerini Diaconus, postea verò eiusdem in Episcopatu successor, quibus Dominica die Martinum ad celos migrasse reuelatum est. Sed dies vndecima Nouembris ann. 402. non fuit Dominica, sed feria tertia, quia littera dominicalis fuit E, ergo falsum est Martinum obiisse ann. 402.

Vid. Vis.
horum SS.
Tom. 6. Sm-
rii.

SECUNDVM ARGUMENTVM.

103 **H**ABETVR ex Seuero Dial. 2. cap. 6. Beatissimum Martinum, quo primùm tempore factus est Episcopus, ad iisse Valentianum seniore; Id baronius non negat; sed contigisse scribit Anno Christi vulg. 375. post Consulatum Gratiani, & Aequitij, extremo scilicet Imperij Valentianiani, esto ita fuerit, quamuis alij nonnulli, vt Giselinus adnotat, multò citiùs alloquium illud consignent. Iam videamus quot Martinus annis Sedem Turonensem tenuerit, comperiemus non nisi 25. annos, quatuor menses, dies 7. lic enim apertissimè tradit Gregorius lib. 1. Mirac. cap. 3. *Per quinquennia quinque, bis insuper geminis mensibus, cum decem diebus, &c.* per quæ verba, cum rythmo quodam sint composita, ideoque corruptelis minùs obnoxia, emendandus est alter Gregorii locus lib. 10. Hist. Franc. cap. 43 r. vbi scriptum reperitur, sedisse annos 26. menses quatuor, d. 17. scribendumque ann. 25, menses quatuor, d. 7. Iam verò si vera est opinio baronii, profectò Sanctus Martinus non solos 25. & quatuor menses, sed 27. integros, & ex parte 28. annos (quod est contra omnes Historicos, qui de Martino scripserunt) vixisset Episcopus. Res clara est, quippè si 375. fuit primus Turonicæ Sedis annus, & peruenit Martinus vsque ad Nouembrem 402. vtique vigesimo octauo Sedis anno decessit.

TERTIVM ARGUMENTVM.

104 **Q**UAMVIS concedamus Seuerum composuisse Vitam Beati Martini ipso Martino adhuc viuento, tamen post Martini obitum edidit, quod probatur, quia non multò ante Martini obitum eam se Hi-

tori-

Itoriã texuitle Seuerus ipse indicat, vt Giselinus in Vita Seueri acutè obseruauit. Nam in præfatione ad Desiderium vbi neglectum orationis cultū excusat, totum id quod ex politioribus studijs olim libauerat, id se tanti tēporis desitudine fatetur perdidisse: innuit ergo his verbis se Martini vitã composuisse post multorum annorum cum ipso Martino contuberniū, hoc est, paulò ante obitum Martini. Atqui editio, & euulgatio iam dicta Vitæ signatur à Baronio Anno Christi 397. Igitur Martinus iam ante hunc annum 397. è viuus excesserat: ac proinde ex ipsomet Baronio colligimus non peruenisse ad annum 402.

QVARTVM ARGVMENTVM.

105 **C**ONSISTAT ex testimonio Scriptorum veterum, & ex Romani Breuiarij nuperrimè recogniti auctoritate, Beatum Martinum non vixisse vltra octogesium primum Annum: Atqui si obiit, vt Baronius opinatur, anno sal. 402. profectò vsque ad octogesium sextum ætatis annum peruenit. Probo sequelam: si enim Euodio Consule, hoc est anno 386. iam erat septuagenarius, ergo anno 402. fuisset ætatis plusquam octoginta sex annorum. Hoc argumentum supra etiam attigimus, sed his est locus eius proprius. Baronius id non solum concedit, sed fidenter asserit peruenisse Martinum ad octuagesimum sextum ætatis annum. At quomodo tot vetustis Scriptoribus Gregorio videlicet Turonensi, Venantio, Fortunato, Adoni Viennensi, Sigeberto Gemblacensi, & (quod caput est) Breuiario Romano nouissimè recognito satisfacere possit, equidem haud video.

QVINTVM ARGVMENTVM.

106 **S**ANCTVS PERPETVVS factus est Episcopus Turonēsis anno 64. ab obitu Martini (tanti fecere veteres Galli Beatissimum Martinum, vt ab eius obitu veluti à memorabili temporū Epochã annos numerare consueuerint.) Id constanter tradunt Gregorius Turonensis lib. 1. de mirac. Sancti Martini cap. 6. & lib. 2. Hist. Franc. cap. 10. & 14. & lib. vltimo cap. 31. Aymoinus lib. 1. de gest. Franc. Ado Viennēsis in Chronico ætate 6. & Baronius ipse tom. 5. Annal. ad ann. 402. Atqui idem Sanctus Perpetuus interfuit, imò præfuit Concilio Venetico, quod supputate Baronio in Annalibus, celebratum est Anno sal. 454. ergo iuxta hanc Baronij Chronologiam (falsam vtique, sed auctori suo verè, & validè aduersam) Martinus decessisse dicendus esset anno 390 vt patebit è 454. detrahenti 64. Quomodo igitur alibi idem Baronius asserit decessisse 402. ? Diaphoniam istam nemo arbitror conciliabit.

Altera nunc nostræ sententiæ pars demonstranda est, videlicet Beatū Martinum obiisse Anno Christi vulg. 395.

PRIMUM ARGUMENTUM.

107 **G**REGORIO Turonense supputante, & Baronio non abnunte, natus est Martinus anno vndecimo Constantini, qui Gregorio est Christi 15. non autem 16. vt Baronius cum Onuphrio figunt. Non disputo vtri rectius, sed affirmo Gregorium Turonensem Anno, aut fortassis biennio præcurrere vulg. Fastos. Ratio est, quia Imperium Diocletiani, quod erat prisca Epochæ temporum, non 288. vt Lucidus alijque nonnulli, non 285. vt Astronomi, eodem Lucido teste, neque 284. vt vulgò fit, sed 283. inchoat. Nam Latini aliquot, cum Ambrosio, Annos Diocletianos Alexandrino more, numerabát à Thoth Aegyptiorum, id est, ab Augusto Mense. Hoc autem numerandi modo ab Occidentalibus etiam nonnullis, & præcipuè à Beato Ambrosio Episcopo vsitato, præueniebant alios, qui Epocham Diocletianeam à Paschalibus mensibus sequentibus, hoc est, anno 284. ordiebantur. Ideò nemo mirari debet Beatum Ambrosium aliosque complures Occidentales vno anno citius eiusmodi Aeram putare, quam vulgò alij putent, qui Dionysianos annos numerant. Id videre est apud Ambrosium Epistolâ Paschali, quæ est 88. in ea enim sumit Ambrosius septuagesimum quintum annum pro septuagesimo sexto, & rursus octogesimum nonum pro nonagesimo, & nonagesimum tertium pro nonagesimo quarto, quod in Ambrosio non nemo eruditorum ante nos obseruauit. Redeo nunc ad Beatum Gregorium Turonensem, & affirmo ob iam dictam rationem, vndecimum Annum Constantini esse illi humanæ salutis 315. atque sic supputatio probè constat, si illi enim Aera Diocletiani incipit anno salut. 283. ergo finis eius vicennalis Imperij incidit in 303. post quem biennio in Britannis regnante Constatio Chloro, ad 8. Kal. Augusti Constantinus eius filius hæres ex testamento relictus imperium cepit anno Christi, vt ex iam dictis liquet, 305. qui cum numeretur primus Constantini sequitur, vt decimus sit completus ann. Christi 315. ad 25. Iulij, & exinde eodem anno inchoetur vndecimus. Eo ipso itaque natum Martinum figimus vnâ cum Gregorio. Obseruauit autem Beatum Gregorium in sua Historia non rarer anno, aut biennio ante vulgares Fastos similiter præuenire, vt exemplo Pontificatus Gregorij Magni, quem inchoatum refert anno quinto decimo Chidelberti Regis, hoc est; vt ex eodem colligitur, anno Christi 488. alijque nonnullis eiusmodi supputationibus manifestum facerem, si locus hæc posceret. Formandum est nunc Dialecticè, vt nobis in more est, Enthymema. Christi annus 315 est Gregorio primus vitæ Martini, igitur Anno Christi 395. Martinus agebat annum 81 quo & mortuum tot veteres Scriptores, ac Breuiarium Romanum abundè testantur. Ergo ipso Christi anno 395. obiit, & non alio.

SECUNDVM ARGVMENTVM.

11. 10. 719.
ad finem.

108 **I**DEM Gregorius Turonensis scriptum reliquit, / Martinum ordinatum fuisse Episcopum anno 8. Valentiniani, & Valentis Augustorum; is est Christi, iuxta vulgares Fallos 372. Gregorio autem Aeram Diocletianeam anno 283. hoc est anno citius vnà cum Ambrosio, & Latinis aliquot inchoanti, erit profectò 371. quibus si addideris Episcopatus Beati Martini annos 25. menses 4. d. 7. peruenies ad diem 11. Nouébris Anni 395. Supputatio clara est, & omnia probè conueniunt.

109 Neque obstat, quæ interim ex castigatissimis Onuphrij Fastis posset fieri obiectio, videlicet, Annum, quo Valentinianus ad Imperij fastigium euectus est, fuisse bissextilem, atque adeò à Christo nato 364. Hinc verò sequi octauum Annum Valentiniani fuisse Christi 372. non autem 371. vti ex Gregorio statuimus: Non inquam, valida est hæc obiectio aduersus Turonensem: Is enim vt diximus diuersam sequutus est Aeræ constitutionem, Ambrosium scilicet, & complures veterum imitatus qui Aeram Diocletiani, anno, aut biennio citius inchoarunt. Verùm quid officit diuersa Aeræ constitutio, si in annis Christi, & Urbis, atque Orbis Gregorius cum Eusebio, & Hieronymo, vt ipse se facturum miserat, planè consentit? Denique nobis sat est demonstrasse, quando Gregorius inquit Martinum factum fuisse Episcopum anno 8. Valentiniani, perinde sumendum esse, ac si dixisset iuxta vulg. Fallos anno 7. Vtraque enim supputatio eodem recidit, quia in Diocletiani, & in Constantini Imperio tantum dissident, non autem in annis Christi, neque Urbis, neque Orbis.

TERTIVM ARGVMENTVM.

110 **S**ilatiùs, & diligentius explicemus vim argumenti illius, quod supra tetigimus, à Perpetui Episcopi ordinatione desumpti, non solum consequemur Martinum nequaquam obiisse anno sal. 402 sed etiam comperiemus obiisse an. 395. vt Turonensis clarè significat. Rationabor itaque hoc modo: Sanctus Perpetuus non solum, vt diximus, interfuit, sed etiam præfuit Concilio Venetico, pertinebant enim Venetici fines ad Turonensem, cui ipse præerat, Metropolitanì iure, Prouinciam, Concilium autem Veneticum quis non videat non posse constitui ann. salutis 453. vt Baronius, Binius, & Gordonus faciunt? eo enim ann. Sanctus Perpetuus nondum erat Episcopus Turonensis, quippè qui, vt supra multorum veterum testimonio firmauimus, ordinatus fuit anno 604. à Martini decessu. Atqui Martinus, Baronio, & Gordano obiit anno 402. quibus additi 64. conficiunt 466. non autem 453. Vide falsæ Theses quantum sibi inuicem aduersentur. Dicimus ergo cum Onuphrio, Concilium Veneticum celebratum fuisse anno 460. Magno

& Apol-

& Apollonio Coss. Ordinatio autem Perpetui non debet referri ad eundem Annum 460. quæ enim fieri potuit, vt inter tot, tantasque bellorum procellas, quæ per id tempus Gothis, vt Isidorus tradit, Gallias inuadentibus, Aruernos Turonicosque potissimum diuexarunt, Sanctus Perpetuus statim, ac Sedem Turonensis Metropoleos inijt Concilium illud Veneticum, quo tot Episcopi conuenerunt, cogere, celebrare, & tutò absoluerè potuerit? Quod si cõ vim ad eò probabilis coniecturæ mihi cõcedatur, saltem Anno præcedente, videlicet 459. ordinatum fuisse Episcopum, cum ex altera parte constet, vel ipso Baronio asserente, id accidisse Anno 64. ab obitu Martini, euidentissimè inde sequetur Martinum anno Christi 395. ad cœlos euolasse, tot enim remanent, si è 459. subduxeris 64.

III.

QUARTVM ARGVMENTVM

SANCTVS GREGORIVS lib. 2. de miraculis Sancti Martini cap. 1. tradit se factum fuisse Episcopum Turonensem anno 12. Sigeberti Regis, & 179. à Martini obitu. Incidit annus iste in Annum Christi 574. Quod quia Baronius ipse concedit, probare ex Gregorio ipso superfedeo, alibi id prolixius, & diligentius confirmatur. Itaque si à 574. dempseris 179. reliqui erunt 395. Hoc ergo anno Martinus obiit.

QVINTVM ARGVMENTVM


QUOD palmarium esse arbitror. Sanctus Martinus obiit die Dominico, tertio Idus Nouembris: sed iam dicta dies non incidit in Dominicam per ea tempora, nisi vel anno 395. vel anno 400. Atqui non potest eius obitus referri in annum 400. tum quia, vt superius vidimus, is annus abest ab eius ordinatione plusquam 29. annis, quod est aduersus omnem Historiæ fidem, tum etiam quod alioqui Martinus obiisset ætatis non 81. sed 86. annorum; quæ ambo falsissima, & antiquorum testimonio valdè contraria esse iam constat. Restat igitur asserendum obiisse Martinum Anno Christi 395.

113 Iam verò cum tot Chronicis rationibus, & tanta Antiquorum auctoritate pateat, Sancti Gregorij Turonensis narrationi de Martini funere ab Ambrosio procurato, nihil eorum, quæ Baronius obiecit, aut alius quispiam obijcere possit, obstare; Plurimas verò tum eiusdem Gregorij tum etiam aliorum supputationes optimè conuenire, reliquum est, vt cum eodem B. Gregorio ore pleno clamemus: *O Beatissimum Virum (Martinum) in cuius transitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat Chorus, omniumque cœlestium Virtutum occurrit Psallentium exercitus, Ecclesia virtute roboratur, Sacerdotes Dei reuelatione glorificantur.* Hoc celestimate, quia Portum iam aspicio, Latus finio hanc disputationem. Meritò enim ea verba mihi canenda sunt, quæ Romana Ecclesia in suo

nuper emendato Breuiario identidem canit. Quo etiam loco est aliqua,
 quod nostram, hoc est, Beati Gregorij sententiam firmet, *Nam, Tò, Sacer-*
dotes Dei reuelatione glorificantur, pluratiuo numero positum est; vt non
 solum Sanctus Seuerinus, sed etiam Sanctus Ambrosius, vt iam aliis ar-
 gumentis probatum est, comprehendatur. Ego autem plura sanè pro-
 ferre possem ad idem magis, magisque firmandum, sed parco Lectoribus:
 materies quippè valde implexa est, & tricis, spinisque confita. Occurro
 interea his decem nostris argumentis, nisi fallor, haud planè debilibus,
 duobus illis, quæ Baronius protulit, vt Martini obitum ad annum 402.
 protraheret. Censeat nunc sincerus, atque eruditus Lector (talem quip-
 pè desidero) ab vtro nostrum ius probabilius stet, atque ratio. Ego tan-
 tisper tabulam hanc, Apellem imitatus, suspendo è pergula, Do-
 ctorum virorum, hoc est, eorum, qui aliquid ultra
 crepidam sapiant, Iudicia
 subiturus.

Liber Collegij Societatis Iesu Paderborne.

Laus Deo Virginique Mariæ.





misit me ut pphare ad conuincam
istam. & ad ciuitate hanc. oia
uerba que uidistis. Hunc ergo
bonas facite uias uras & studi
a ura: audite uerbum dnm dei
vri. & penitebit dnm mali qd
locutus e aduersum uos. Ego
autem i manibz uris sum. faci
te michi qd bonu & rectum est
in oculis vris. Veruntamen
scitote & cognoscite qd si occide
ritis me sanguine innocetem

